AUTHOR:

PRAETORIUS, ERNST

TITLE:

LEGIBVS PLATONICIS A PHILIPPO OPUNTIO...

PLACE:

BONNAE

DATE:

[1884]

Master Negative #
91-80202-12

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Praetorius, Ernst, 1861-
De Legibvs Platonicis a Philippo Opuntio retractatis. Dissertatio philologa qvam ... pvblice defendet scriptor Ernestvs Praetorivs ... Bonnae, typis C. Georgi, [1884]
46 p. 23½ cm.

Thesis, Bonn, 1884.

Volume of pamphlets

15155

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9/3/91 INITIALS ER
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3

no. 1

DE

LEGIBVS PLATONICIS
A PHILIPPO OPVNTIO RETRACTATIS

DISSERTATIO PHILOLOGA QVAM AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS AMPLISSIMO IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA PHILOSOPHORVM ORDINI TRADITAM VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS DIE XXVII MENSIS MARTII ANNI CIↃIↃCCCLXXXIIII HORA XII PVBLICE DEFENDET SCRIPTOR

ERNESTVS PRAETORIVS
MECKLENBVRGENSIS

ADVERSARII ERVNT

ROBERTVS MVENZEL DR. PHIL.
IVLIVS HOEPKEN DR. PHIL.
FRANCISCVS WINTER STVD. PHIL.

BONNAE
TYPIS CAROLI GEORGI VNIV. TYPOGR.

FRANCISCO BVECHELER

HERMANNO VSENER

Postquam controuersia Leges Platonicae re uera nomine illius philosophi ornari deberent necne ita profligata et ad exitum perducta est, ut liber a magistro non absolutus Philippi Opuntii discipuli opera editus esse in publicum putetur, Bruns[1] nouam ingressus uiam eruere coepit, quaenam Platoni ipsi quae Philippo editori essent tribuenda. Ingeniosa neque tamen nimis audaci sagacitate usus non uno loco manum discipuli deprehendit rationemque contraria inter se consuendi euicit. Vestigia Brunsii premens, licet identidem eum uehementer impugnauerit, Theodorus Bergk[2] nonnulla ad illam quaestionem disceptandam utilia ipse attulit, alia ut ait ipse iunioribus uia tantum indicata inuenienda reliquit. Ambo uiri docti, id quod Bruns diserte profitetur, solas Leges Epinomide adsumpta habent pro fundamento quaestionis regulasque ex iis ipsis quaesitas ad eas dirimendas adhibent. Hanc rationem artis criticae rectissimam simul et fructuosissimam esse quamquam libenter concedo, aliam tamen non prorsus abiciendam esse contenderim. Testimonia enim quae dicuntur externa me iudice hac in re nimis negleguntur. Non sunt tam infirma et incerta quam plurimis uidentur esse, immo adest, quod rarissime accidit in scriptis ueteribus, iudi-

---

[1] De Legum Platonicarum compositione quaestiones selectae. Diss. Bonn. 1877. *Plato's Gesetze vor und nach ihrer Herausgabe durch Philippos von Opus. Weimar 1880.* Posteriorem librum nudo scriptoris nomine significabo.

[2] *Fünf Abhandlungen zur Geschichte der Griechischen Philosophie und Astronomie von Theodor Bergk herausgegeben von Gustav Hinrichs* p. 41—116.

cium de singulis institutis Legum Platonicarum factum a uiro aequali et fide dignissimo, ab Aristotele. Comparauerunt sane iam complures caput sextum libri alterius Politicon cum Legibus et differentias quasdam adnotarunt, sed nihil inde de forma genuina Legum concluserunt. Etenim quod Oncken *Die Staatslehre des Aristoteles* I p. 199 posuit magis quam explicuit Aristoteli priores libros usque ad V 734 E fuisse ignotos, primo adspectu redarguitur, cum duo loci apud illum exstent sine dubio ad librum primum pertinentes. Quam ob rem haud superuacaneum censeo comparationem illam denuo instituere non eo consilio, ut quae iure quae iniuria uituperauerit Aristoteles demonstrem, sed ut appareat legeritne criticus Platonis Leges iisdem uerbis perscriptas quibus nos legimus an non.

At ne quaestionem ipsam statim incohem, duobus impedimentis prohibeor. Sunt enim qui Politicon magnam partem ab Aristotele abiudicatam siue discipulis eius siue etiam posterioribus adsignent. Vnus inter eos maxime ni fallor scepticus Krohn[1] libri II caput VI perquam spurium et infima demum aetate ortum iudicat. Horum uirorum sententias refellere singulas neque necessarium est et nimis longum. Sufficiat commemorasse plerosque retinentes id quod traditum est non dubitare, quin Politica ab Aristotele composita quidem sed non perpolita relicta sint. De nostro uero capite uelim attendas summo opere esse ueri simile Aristotelem aeque ac Rem publicam etiam Leges Platonis pertractasse, ita ut alterum iudicium ab altero diuelli nequeat. Praeterea docebit ut spero haec ipsa commentatio illam partem operis Aristotelici uestigia prae se ferre originis antiquissimae.

Altera eaque grauior difficultas oritur e ratione, qua Aristoteles in transcribendis libris Platonicis utitur. Confiteor eum saepe magistri sententiam non tam huius quam suis ipsius uerbis exprimere eoque paululum inmutare. Hoc in primis accidit, ubi expositiones mythicas accipit, quasi simplici sermone

[1] *Zur Kritik Aristotelischer Schriften* p. 36.

scriptae sint. Denique neglegit interdum sententiarum conexum, ex quo singularum interpretatio pendet. Tamen his rebus omnibus nostra quaestio minus laborat quam quis timeat. Desunt enim Legibus narrationes mythice scriptae neque, sicut antea dictum est, id quaerimus, num iudicia Aristotelis probanda sint. Vt uero accuratius rationem eius cognoscamus, summatim quae commentatus est de Re publica[1] conferamus cum libris decem nobis antiquitus traditis. Nemo adhuc non admiratus est, qua ui quoque ardore Aristoteles refutet Platonis quasi alucinationes, mulierum dico et rerum omnium communionem, neque fuit neque est qui uituperationis argumenta in Rem publicam quae nunc exstet optime quadrare neget. In paucis tamen rebus minoris momenti, ut quorundam est opinio, Aristoteles cum ea non congruit. Atque primum quidem p. 1263 b 41 et 1264 a 8 syssitiorum facere mentionem fertur, quasi illa in Platonis Re publica non instituta esse censuerit. Sed priore loco sententiarum nexus talis est. Non bene Socrates omni modo id agit, ut ciuitatem prorsus unam reddat. Vnitas non ui quadam constituenda sed uirtute ciuium paulatim conformanda est, non principium rei publicae sed finis esse debet. Atque eo magis mirus Socratis error est, quod ipse educationem eruditionemque plurimi aestimandas esse profitetur. Quod quamuis concedat, eas fere tollit communione illa libertatem opprimente. Salubris enim ut fiat, eruditio firmari potius debet moribus et philosophia nec non bonis institutis uelut syssitiis, qualia apud Lacedaemonios et Cretenses inueniuntur. Satis apparet, quantum distent conuiuia hoc consilio parata a Platonicis. Haec enim necessario fere pendent ex communitate cibariorum neque uirtutem ciuium augent, illa uero magno opere ualent ad concordiam unitatemque stabiliendam.

P. 1264 a 6 sqq. uerba μερίζων et χωρίζων grauissima sunt. Ciuitate Platonica exstructa — hoc dicit Aristoteles — partitiones quaedam, quibus unitas adpetita delebitur, admit-

[1] Polit. II 1—5.

tantur oportet. Nam fieri non potest, quin ciues distribuantur et in conuiuia et in gentes tribusque. Nihil refert quod Plato ipse his reiectis illa retinet; non enim animaduertit conuiuiis aeque ac propriis distributionibus populum in complures partes diremptum iri. Syssitia ergo Platonica discipulo fuisse ignota caueamus ne ex his locis concludamus, immo planis uerbis paulo post p. 1265 a 8 commemorantur.

Porro Aristotelem putant p. 1264 a 14 iniuria quaerere, rusticis quoque mulieres et agri sint communes necne. Cum Susemihlio [1] consentit Zeller *Philos. der Gr.* II³ 1, 769 tertiae ciuium classi philosophum uulgarem modum uiuendi reliquisse. Vterque id ut confirmet ad finem libri tertii et initium sequentis confugit. Minime recte opinor. Platonis uerba uide haec (417 A): ὁπότε δ' αὐτοὶ γῆν τε ἰδίαν καὶ οἰκίας καὶ νομίσματα κτήσονται, οἰκονόμοι μὲν καὶ γεωργοὶ ἀντὶ φυλάκων ἔσονται, δεσπόται δ' ἐχθροὶ ἀντὶ ξυμμάχων τῶν ἄλλων πολιτῶν γενήσονται. Custodes, simul atque agros, domos, pecuniam possederunt, in condicionem rusticorum eiusdem ciuitatis transferri per se minime patet, refellitur uero talis interpretatio altero enuntiato δεσπόται . . γενήσονται. In uniuersum igitur scriptum est οἰκονόμοι . . καὶ γεωργοὶ . . ἔσονται, quod explices: non ut decet custodiae totius urbis operam dabunt sed rebus priuatis augendis agrisque colendis. Neque aliter iudico de loco sequenti 419: οἱ δὲ μηδὲν ἀπολαύουσιν ἀγαθὸν τῆς πόλεως, οἷον ἄλλοι ἀγρούς τε κεκτημένοι καὶ οἰκίας οἰκοδομούμενοι καλὰς καὶ μεγάλας κτέ. Hac descriptione tertiam classem significari quis sibi persuadebit? Primum deest articulus οἱ ante ἄλλοι, deinde uoce οἷον exemplum inducitur, non comparatio aduersatiua, tum uero rustici ciuitatis Platonicae paene seruorum uice sunt reliquos ciues alentes neque ullo modo iis similes, qui hic depinguntur. Itaque non dubium est, quin Adimantus custodibus opponat liberos ciues nescio cuius urbis, qui propriis diuitiis suo arbitrio usi plerisque uideantur uere beati.

[1] *Aristoteles Politik. Lpz. 1879* not. 170.

Stat igitur iudicium Aristotelis. Etiam nos haesitamus, quid Plato de rusticorum uita cogitauerit. Eo quod liberos quosdam custodum rusticis et uersa uice inmisceri iubet (III 415 B, IIII 423 C; cf. Arist. Pol. II 4 p. 1262 b 24 sqq.), paene commoueor, ut tertiae classi communionem mulierum constitutam esse putem, cum hac sola ratione difficultas mutandi tollatur. Aristotelis hac de re sententiam noli promere ex p. 1262 a 40 sqq. Illud enim enuntiatum, quod non bene uerterunt neque Bernays neque Susemihl, in utramque partem licet interpretari, ita ut eadem subsit dubitatio, quae postea profertur. At tamen criticus nescio an nimis longe progrediatur, cum dubitet p. 1264 b 34, num rusticis permissum sit, ut magistratus ineant et bella gerant. Magistratuum enim ipse p. 1264 b 6 exponit atque reprehendit institutionem, armorum autem usum alterius classis proprium esse testantur uerba paulo antecedentia διαιρεῖται γὰρ εἰς δύο μέρη τὸ πλῆθος τῶν οἰκούντων, τὸ μὲν εἰς τοὺς γεωργούς, τὸ δὲ εἰς τὸ προπολεμοῦν μέρος. Vbi cum opponantur inter se γεωργοί et προπολεμοῦν μέρος, minime exspectamus uituperationem qualis sequitur. Porro cum hoc loco breuissime Rei publicae Platonicae statum declaret scriptor, repetit fere ut par est summam expositionis superioris. Qua de re uix ferendum est, quod hic prorsus aliud in rusticis desiderat ac priore loco, quod ibi ne uno quidem uerbo attinguntur magistratus et res militaris. Nam illa ὅπλων κτῆσις (p. 1264 a 22) ad possessionem tantum armorum spectat, quippe quibus serui ne aggrediantur dominos timendum sit. Denique animaduersa structurae p. 1264 a 14—17 et 1264 b 34—37 similitudine concedes mihi opinor uerba πότερον οὐδεμιᾶς . . περὶ τούτων interpolatorem redolere ex notionibus προπολεμοῦν et βουλευόμενον καὶ κύριον consarcinantem opprobria a scriptore intermissa.

Restat ut de beatitudine custodum (p. 1264 b 15) paucis disseram. Neglegentiae Aristoteles a Susemihlio (not. 184) arguitur, quod libri quinti et noni partes non respiciat. Nobis num eae ignotae illi fuerint quaerendum est. Vituperatio

Aristotelis optime pertinet ad initium libri quarti, in primis ad 420 B οὐ μὴν πρὸς τοῦτο βλέποντες τὴν πόλιν οἰκίζομεν, ὅπως ἕν τι ἡμῖν ἔθνος (i. e. φύλακες) ἔσται διαφερόντως εὔδαιμον, ἀλλ' ὅπως ὅτι μάλιστα ὅλη ἡ πόλις. Cf. 421 B C. Tamen suo iure monet uir ille doctus Socratem in posteris explicare non externis quidem bonis sed liberali eruditione custodes re uera beatos esse futuros. Nusquam uero propriis uerbis refellitur effatum illud in libro quarto acriter defensum, in ratione autem effati praecipue offendisse Aristotelem ostendit Zeller II 2, 698, 2.

Iudicia igitur Aristotelis de Rei publicae institutis facta perbene possunt conciliari cum libris traditis, neque aliter quantum uideo statuendum est de reliquis locis, quibus Res publica, et de iis, quibus alia scripta Platonica respiciuntur.

Solae excipiendae sunt Leges. Quod ut demonstrem perscrutabor et iudicium ab Aristotele Pol. II 6 propositum et paucos illos locos, quibus praeterea illarum fit mentio. E re est ab externis ut ita dicam proficisci, dispositionem puto et amplitudinem dialogi. Aristoteles p. 1265 a 1 hoc praebet summarium: τῶν δὲ Νόμων τὸ μὲν πλεῖστον μέρος νόμοι τυγχάνουσιν ὄντες, ὀλίγα δὲ περὶ τῆς πολιτείας εἴρηκεν. Quo modo discernat inter νόμους et πολιτείαν, docet VI (IIII) 1 p. 1289 a 15 sqq.: πολιτεία μὲν γάρ ἐστι τάξις ταῖς πόλεσιν ἡ περὶ τὰς ἀρχάς, τίνα τρόπον νενέμηνται καὶ τί τὸ κύριον τῆς πολιτείας καὶ τί τὸ τέλος ἑκάστης τῆς κοινωνίας ἐστίν, νόμοι δὲ κεχωρισμένοι τῶν δηλούντων τὴν πολιτείαν, καθ' οὓς δεῖ τοὺς ἄρχοντας ἄρχειν καὶ φυλάττειν τοὺς παραβαίνοντας αὐτούς. Similia leguntur in Legum VI 751 A: δύο εἴδη ταῦτα περὶ πολιτείας κόσμον γιγνόμενα τυγχάνει, πρῶτον μὲν καταστάσεις ἀρχῶν τε καὶ ἀρξόντων, ὅσας τε αὐτὰς εἶναι δεῖ καὶ τρόπον ὄντινα καθισταμένας, ἔπειτα οὕτω δὴ τοὺς νόμους ταῖς ἀρχαῖς ἑκάσταις ἀποδοτέον, οὕστινάς τε αὖ καὶ ὅσους καὶ οἵους προσῆκον ἂν ἑκάσταις εἴη. Iam uideamus illud summarium. Dispositione in ipsis Legibus adhibita, quam nimis esse inconstantem infra intellegemus, confirmari id nequit, confirmatur uero ipsa inscriptione

operis. Etenim Νόμοι titulo unus quisque perducetur, ut de singulis legibus disputationem fore arbitretur. Tamen incipit ἡ νομοθεσία in sexti demum libri 768 E atque pertinet ad XII 960 B. Quamquam hanc partem complexus educationem quoque legibus adscripsi discedens ab Aristotele, nihilo minus iis dimidium uix opus expletur. Non aptum igitur est illud τὸ μὲν πλεῖστον μέρος νόμοι τυγχάνουσιν ὄντες, adsunt enim sicut in Re publica, minus tamen cohaerentes cum expositione totius operis, οἱ ἔξωθεν λόγοι quos nominat Aristoteles p. 1264 b 39, dico in prioribus libris. Iam hic moneo criticum solos fere librum quintum et qui sequuntur respexisse. Quanto opere discesserint a breuiario Aristotelico posteriorum temporum homines scholio inlustratur ad Leg. I 630 E: ἐν . . τοῖς ί βιβλίοις τὰ κατὰ τὴν ἀρετὴν πραγματευσάμενος (Πλάτων) ἐπὶ τέλει ἐν τοῖς β' βιβλίοις καὶ ἐκεῖνα (τὰ μερικὰ καὶ περὶ τὰ συναλλάγματα κλήρων καὶ ἐπικλήρων = XI 922 A sqq.) ἠξίωσε μνήμης. Haec quamuis temere adplicata esse ad uerba scriptoris I 630 E — 632 E facile apparet.

Aristoteles loquentem accepit in Legibus Platonicis Socratem. In uocibus enim εἴρηκεν p. 1265 a 2, περιάγει a 4 etc. supplendus est e p. 1264 b 37 Σωκράτης. Ipsum nomen repetitur p. 1265 a 11 οἱ τοῦ Σωκράτους λόγοι, quibus uerbis omnis profligatur de hac re dubitatio. Noli opponere [1] Socratem fuisse Aristoteli prorsus loco Platonis, ita ut huius sententias, ubicumque erant prolatae, illi tribueret. Adest enim paulo antea p. 1262 b 11 locus, quo Aristophanes testis adfertur ea de re, quam in Conuiuio exposuit.

At certissimum est hospitem Atheniensem non posse haberi pro Socrate. Ac primum quidem causa nulla inuenitur, qua commotus Plato in hoc uno dialogo magistrum induxerit nomine non apposito, deinde, quod etiam grauius esse censeo, Socrates Cretam nunquam adiit. Minime decebat discipulum notam eius consuetudinem Phaedr. 230 B—E, Criton. 52 E sq. pluribus enarratam plane neglegere. Accedit quod

[1] Cf. Zelleri II 1, 391.

I 638 B commemorantur Locri a Syracusanis subacti anno 356 a. Chr. n. Cuius anachronismi nullam uideo excusationem. Denique abhorret ab usu Platonico Socrates iunior omnibus conlocutoribus fictus: Atheniensis uero hospes minimus est natu inter tres (X 892 D). Sicut nos iam ueteres ut uidetur argumentati sunt, certe Academici quidam hospitem Atheniensem interpretabantur Platonem ipsum. Cicero enim De leg. I 15 eum ambulantem facit cum Clinia et Megillo, Ciceronem porro pendere ex philosophis Academicis nemo negat. Item scholiasta ad Legum personas Platonem intellegit commotus quidem causa nobis haud probanda. Quin etiam codex optimus idem tradit. Etenim in Parisino A Martino Schanz auctore (praef. XIX) initio Legum personae ita distinctae sunt $\overset{\lambda}{\pi}$ $\overset{\lambda}{\kappa}$ $\overset{\epsilon}{\mu}$. His conlatis cum inscriptione eundem ordinem obtinente τὰ τοῦ διαλόγου πρόσωπα· ἀθηναῖος ξένος· κλεινίας· μέγιλλος unus quisque primam notam leget Πλάτων. Probabile mihi uidetur hanc significationem referendam esse ad compositorem tetralogiarum Thrasyllum, ut inde aeque atque e Ciceronianis scholae traditionem liceat agnoscere. Etiam Laertius Diogenes, quippe qui explicatione diuersa illam studeat refutare, testis adsciscendus est. Prodit III 52 haec: καὶ περὶ μὲν τῶν αὐτῷ δοκούντων ἀποφαίνεται (Πλάτων) διὰ τεττάρων προςώπων, Σωκράτους, Τιμαίου, τοῦ Ἀθηναίου ξένου, τοῦ Ἐλεάτου ξένου. Εἰσὶ δ' οἱ ξένοι οὐχ, ὥς τινες ὑπέλαβον, Πλάτων καὶ Παρμενίδης, ἀλλὰ πλάσματά ἐστιν ἀνώνυμα· ἐπεὶ καὶ τὰ Σωκράτους καὶ τὰ Τιμαίου λέγων Πλάτων δογματίζει. Duae res monitu sunt dignissimae. Aristotelis interpretatio hic ne commemoratur quidem neque, ut breuis sim, usquam eam inueni praeterquam in Crameri Anecd. Par. IIII 396, quod infimae aetatis testimonium nullius momenti esse apparet. Deinde auctor Laertii recte animaduertit Platonis esse morem ut alios semper introducat suas ipsius sententias proferentes. Cf. III 37. Enuntiatum causale ἐπεὶ καὶ κτέ ad uocem Πλάτων solam reuocandum est. Quod ad πλάσματα ἀνώνυμα attinet, Susemihl similiter

opinatur hospites non esse certos uiros sed repraesentare quasi totius populi uel sectae mores et ingenium.

Iam redeo unde progressus sum. Aristoteles identidem profitetur Socratem participem esse dialogi, nobis autem sicut ueteribus hospes Atheniensis nullo modo Socrates uideri potest. Meo iure adicio: neque Aristoteli potuit, si opus Platonicum ita perscriptum legisset ut nos legimus. Sequitur ut non ita legerit. Ea conclusio confirmatur hac ratiocinatione. Socratem reiecimus in primis, quia dialogus fit in Creta insula: apud Aristotelem Cretae nullum est uestigium. Porro cohaeret cum loco personisque dialogi consilium coloniae deducendae in fines olim a Magnetibus obsessos: Aristoteles nusquam huius coloniae habet rationem, immo paene certum iudico eam ignotam fuisse critico. Nam ut a leuioribus incipiam, uerba eius p. 1265 a 2 καὶ ταύτην (i. e. πολιτείαν) βουλόμενος κοινοτέραν ποιεῖν ταῖς πόλεσι κατὰ μικρὸν περιάγει πάλιν πρός τὴν ἑτέραν πολιτείαν, quibus adiungas similia p. 1265 b 29 εἰ μὲν οὖν ὡς κοινοτάτην ταύτην κατασκευάζει ταῖς πόλεσι τῶν ἄλλων πολιτείαν, καλῶς εἴρηκεν ἴσως, satis mirum quod in uniuersum dicuntur, cum de certa urbe agatur. Sed multo magis offendo in hoc loco p. 1265 a 13: τὸ νῦν εἰρημένον πλῆθος δεῖ μὴ λανθάνειν ὅτι χώρας δεήσει τοῖς τοσούτοις Βαβυλωνίας ἤ τινος ἄλλης ἀπεράντου τὸ πλῆθος, ἐξ ἧς ἀργοὶ πεντακισχίλιοι θρέψονται καὶ περὶ τούτους γυναικῶν καὶ θεραπόντων ἕτερος ὄχλος πολλαπλάσιος. Δεῖ μὲν οὖν ὑποτίθεσθαι κατ' εὐχήν, μηδὲν μέντοι ἀδύνατον. Haec me quidem iudice conciliari nequeunt cum colonia Cretensi. Nimiam enim multitudinem incolarum Aristoteles, si licuisset, sine dubio eo conuicturus erat, ut Magnetum fines eum numerum non esse capturos declararet. Babylonia cum utatur exemplo, certam ciuitatis sedem non cognouisse censendus est. Nam ne opinemur terra illa opposita uoluisse scriptorem agrum coloniae demonstrare nimis paruum, prohibemur enuntiato extremo δεῖ μὲν οὖν ὑποτίθεσθαι κατ' εὐχήν, μηδὲν μέντοι ἀδύνατον. Vrbs si re uera conditur, non admittuntur ὑποθέσεις κατ' εὐχήν, sed res quales sunt respici

debent. Propterea contendo uerba modo exscripta nisi in ciuitate ficta adhiberi non posse. Denique hoc consideres uelim. Cum Aristoteles supra p. 1264 a 5, ut Rei publicae peruersitates quam clarissime appareant, eam alicubi constitutam ponat, num putas eum in Legibus recensendis arma reiecisse a Platone ipso oblata? Nonne mirabile est eum initio capitis septimi iudicium ne dicam uituperationem praetermittere, cum fateatur ciuitatem Legum aeque ac Rei publicae longius abesse ab institutis usitatis, quam ciuitates ab aliis uiris siue priuatis siue philosophis siue politicis propositas?

Impugnet quispiam me de his rebus dicens numerum illum ciuium non destinatum esse coloniae, cum haec sint uerba Platonis V 737 D: νῦν δὲ σχήματος ἕνεκα καὶ ὑπογραφῆς ἵνα περαίνηται πρὸς τὴν νομοθεσίαν ὁ λόγος ἴτω. Πεντάκις μὲν χίλιοι ἔστωσαν καὶ τετταράκοντα ἀριθμοῦ τινος ἕνεκα προσήκοντος γεωμόροι τε καὶ ἀμυνοῦντες τῇ νομῇ. Scio sane, sed haec ipsa mecum facere elucebit. Id ut euincatur, necessarium uidetur de uniuersa coloniae institutione uerba facere. Multi iam mirati sunt, quod in fine tertii demum libri prima eius mentio fit, magis mirum est, quo modo fiat. 701 E sq. iis, quae prioribus tribus libris tractata sunt, summatim repetitis, qua repetitione nimis inlustratur prauitas compositionis (Bruns p. 170), hospes Atheniensis finit orationem interrogando: εἰ δὲ δή τι πεποιήκαμεν προὔργου, τίς ποτ' ἂν ἔλεγχος γίγνοιτο ἡμῖν πρὸς ἡμᾶς αὐτοὺς λεχθείς, ὦ Μέγιλλέ τε καὶ Κλεινία; Quibus Clinias respondet fortuna prospera fieri, ut cum aliis ipse coloniam deducturus sit. In ea enim quodam modo se posse experiri, num bene de optimo ciuitatis statu conlocuti sint. Non uero id petit, ut huic ipsi coloniae leges constituant, immo talis est eius adhortatio: ἐκ τῶν εἰρημένων ἐκλέξαντες τῷ λόγῳ συστησώμεθα πόλιν οἷον ἐξ ἀρχῆς κατοικίζοντες καὶ ἅμα μὲν ἡμῖν οὗ ζητοῦμεν ἐπίσκεψις γενήσεται, ἅμα δ' ἐγὼ τάχ' ἂν χρησαίμην εἰς τὴν μέλλουσαν πόλιν ταύτῃ τῇ συστάσει. Hoc mordicus tenendum est: fortasse Clinias legibus institutisque ciuitatis a conlocutoribus depictae utetur in noua urbe condenda. Eodem

spectant uerba 702 C ἅμα δὲ καὶ νόμους τῶν τε αὐτόθι, εἴ τινες ἡμᾶς ἀρέσκουσιν, τίθεσθαι κελεύει καὶ εἴ τινες ἑτέρωθεν, μηδὲν ὑπολογιζομένους τὸ ξενικὸν αὐτῶν, ἂν βελτίους φαίνωνται. Similis sententia VII 805 B ab hospite Atheniensi profertur Cliniae dubitationem sic repellente: ἀλλὰ γὰρ εἶπον (ubi?) τὸν μὲν λόγον ἐᾶσαι διεξελθεῖν, εὖ διελθόντος δὲ οὕτω τὸ δοκοῦν αἱρεῖσθαι δεῖν. Adiungere licet V 739 B et E, ubi γενομένη πως non ad certam urbem relatum uidetur. Quae cum ita sint, qui fit ut hospes Atheniensis per totam expositionem respiciat unam coloniam? Inde ab initio admonitionem Cliniae neglectam esse contendo. Nam statim in libro quarto primum de terra, tum de incolis coloniae accurate quaeritur, quin ad ipsos colonos quasi praesentes oratio habetur 715 E. Ne longus sim, planis uerbis coloniae Cretensis, quippe cui leges dentur, mentio fit IIII 712 B, 715 B, 722 A, V 736 A—C, 737 A B, 744 B, VI 751 A C—E, 752 B—753 B, 754 A, 757 C D, 778 B, 781 D, VII 793 C, 813 D, 821 C etc.

Iam uideamus de numero ciuium. Sicut commemoraui V 737 A sq. hospes coloniae rationem habet. Verba igitur 737 C πρῶτον μὲν κτέ ad eandem pertinent. Haec applicatur sententia: numerus colonorum constitui debet secundum magnitudinem terrae potentiamque urbium finitimarum. Itaque, cum cognouerimus terram et populos uicinos, accurate eum definiemus. Nunc exempli causa quinque milia quadraginta ciues ponamus. Haec uix ferenda sunt. Nonne enim adest Clinias, qui iis de rebus optime possit docere? Nonne initio libri quarti iam proposuit descriptionem regionis illius desertae, quam denuo colendam censuerunt Cretenses? Nonne hospes iam IIII 704 C de urbibus finitimis quodam modo certior est factus? Cur non iterum eundem consuluit? Atque credendum est, cum decem uiri coloniae deducendae creati essent (III 702 C), de numero colonorum nihil fuisse decretum? Certe si non fuit, solus ciuis Cretensis, non Atheniensis aestimare poterat, quot homines urbs captura esset. Cf. Zelleri *Platon. Stud.* p. 64. Sed mittamus haec. Retineamus autem

memoria numerum illum prorsus esse fictum neque spe nitamur eum esse quadraturum in coloniam. Exspectabis opinor, ut in iis quae sequuntur hic illic mutationis locus relinquatur, si opus sit numerum siue minuere siue augere. Sed talis euentus ne uerbo quidem perstringitur. Tribuuntur potius coloniae Cretensi, quasi omnes condiciones diligenter sint perpensae, ciues quinque milia quadraginta idemque numerus temere adhibetur ad classes ordinandas et agros diuidendos. Vide V 740 D E, 745 C, 746 D, VI 771 A sqq., VIIII 877 D, XI 919 D.

Paucis complectar expositionem meam. Aristoteles neque notitiam habet coloniae neque ciuium numerum certis condicionibus destinatum accipit, ab altera parte in Legibus numero ciuium item ficto, quin etiam toti legum lationi colonia Cretensis quasi insinuatur. Cum accedat Socrates conlocutor ab opere nostro alienus, iam hic concludere non dubito Platonis Leges Aristoteli et alias personas et alium locum aliamque formam dialogi exhibuisse. Mutationis auctor est Philippus Opuntius. Hic igitur Socratis loco hospitem Atheniensem induxit, idem nescimus quorum partes Megillo et Cliniae dedit. Nec non Creta insula atque colonia Magnetum eandem originem prae se ferunt. Animaduertas quaeso, quot et quanta opprobria saepe in Leges prolata optimo iure nunc a Platone defendere liceat. Sicut in reliquis dialogis aderat in Legibus quoque Socrates agebatque, quod Aristoteles testatur, primas partes. Locus dialogi sine dubio Athenae erant. Clinias et Megillus conlocutores, quippe qui aduersus morem Platonicum introducantur, cum nunquam re uera exstitisse uideantur, non philosopho sed discipulo tribuendi sunt. Accedit quod coloniam illam neque historici commemorant neque quidquam de ea traditum fuisse in schola Platonica ueri simile est. Tacent enim de ea et philosophorum libri et scholia. Adfirmari igitur potest Cretenses in agrum Magnesium neque deduxisse tunc colonos neque in animo habuisse deducere. Quod cum ita sit, pugnat cum usu Platonis tale consilium perquam mentitum. Itaque commode explorauimus eam fabulam crimini dandam esse Philippo. Simul remouimus

aliam difficultatem haud paruam. Multa instituta, ut notum est[1], Athenis deprompta coloniae impertiuntur. Haec quasi mutuatio etsi philosopho permittenda est, bis tamen modum transit. Primum enim cultus Mineruae deae, quam Athenienses soli fere uenerabantur, eximium locum obtinet in noua urbe: V 745 B, VII 806 B (τὴν θεόν!), VIII 848 D, XI 920 D, 921 C. Porro in colonia nouus annus sicut Athenis incipitur post solstitium aestiuum (VI 767 C, cf. XII 945 E), cum Lacedaemonios ab aequinoctio autumnali annum auspicatos esse sciamus, Cretenses uero aut cum his congruisse aut solstitium brumale habuisse pro anni initio censendi sint[2]. Atque haec eo grauius fero, quod nusquam a scriptore instruimur, qua de causa quaque ratione cogantur ciues, de quibus conferas IIII 708 A, rebus inusitatissimis indulgere. Nam quis audebit Platonem tantae siue ignorantiae siue neglegentiae accusare, ut illas discrepantias omnino eum latuisse contendat?

Si probabiliter statui de personis mutatis, facilius est explicatu, cur desit, quod uiri docti non semel uituperauerunt, descriptio conlocutorum paulo interius inlustrans mores et ingenia. Clinias et Megillus plerumque satis habent paucis adsentiri aut se sententiam prolatam nondum intellexisse fateri. Vnus tantum inuenitur locus, quo scriptor non nulla docet de illorum rebus priuatis, is uero Platone indignissimus. Dico I 642 B—E. De Megilli uerbis infra agam, hic contemplemur responsum Cliniae. Is, ut amicitiam ciuium suorum cum Atheniensibus demonstret, ad Epimenidem prouocans breui ante bella Persica eum fuisse testatur. Hic error quo modo excusari possit non uideo[3]. Causam enim non inuenio, qua commotus Plato, ut alibi consulto facit, rem historicam neglexerit. Explicationem uero Bergkii p. 76, 2 quis est quin

[1] Cf. C. F. Hermanni disputationes in Progr. Marburg. 1836.

[2] Vide *Abhandlungen der Königl. Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen 1842—44* p. 138, 152.

[3] Loeschke *Die Enneakrunosepisode bei Pausanias* (Progr. Dorp. 1883) p. 24 narrationem Platonicam ceteris fide habet digniorem. Cf. tamen C. Schultess De Epimenide Crete p. 6, 24, 47.

improbet? Significari ille censet uoce ἔτος magnum annum i. e. dodecaeterida Chaldaeorum, δέκα ἔτη igitur facere annos centum uiginti. Licet concedamus in oraculis talem ambiguitatem esse usitatam, tamen ad simplicem narrationem ἐλθὼν δὲ πρὸ τῶν Περσικῶν δέκα ἔτεσι πρότερον . . ἐθύσατο explicatio illa nullo modo pertinere potest. Restat igitur l. a. ratio temporum perturbata, quam Platonem inscium admisisse nego. Zeller *Abhandl. der Berl. Acad. 1873* p. 95—97 idem professus conicit mendum ab editore (quem ex Italia ortum minus mirabimur illarum rerum ignarum fuisse) inlatum esse imitante Conuiuii locum p. 201 D. Hoc quamuis ingeniose excogitatum nunc non curo, illud summo opere probo et nouo argumento confirmasse mihi uideor. Satis memorabile est Brunsio p. 57, 64 totam hanc partem libri primi 641 B—643 B causis prorsus diuersis grauissimam suspicionem mouisse. Neque Bergkium p. 77 fugit narratiunculis illis tractationem propositam male interrumpi.

Simili modo peccatum est in temporis dispositione per totum dialogum facta. Conloquuntur senes tres migrantes ab urbe Cnoso ad antrum Iouis die solstitiali aestatis (III 683 C, ubi σχεδόν, ut persaepe in his libris, propria ui carere uidetur). Profecti sunt prima luce (IIII 722 C, VII 811 C). In fine libri quarti legimus iam meridiem esse factum. Qua re nemo erit quin maxime offendatur. Nam per tot horas a sole oriente ad meridiem longi illius diei cum senes lentiore quam par est sermone usi ne tertiam quidem partem dialogi absoluerint, media nox praeteribit priusquam ei finis imponatur. Quem euentum eo magis respicere debebat scriptor, quod conlocutores facit in itinere uersantes. At tamen per quinque libros extremos neque loci neque temporis ulla fit mentio.

Etsi iudicium ex Aristotelis testimonio haustum habitu et forma Legum ipsarum stabiliui, summam quaestionem adhuc praetermisi. Necessarium enim est causam indagare probabilem, cur Philippus opus sibi commissum adeo penitus

inmutauerit. Atque hac in re ualet ni fallor explicatio Zelleri *Plat. Stud.* p. 53, quam inuenit tum cum Leges subditicias esse ostendere studuit. Scilicet Philippus magistro mortuo idem praestare cupiens, quod is Socrati persaepe praestiterat, illi ipsi primas partes dialogi tradere constituit. Cum uero Plato in libris suis nusquam intersit conloquio, nominatim eum inducere non ausus est, ne Leges spuriae putarentur. Secutus igitur exemplum Sophistae et Politici praeceptorem quasi occultauit sub persona hospitis Atheniensis. Porro cum intellegeret uirum Atheniensem Athenis ipsis commorantem absurde appellari Ἀθηναῖον ξένον, loco mutato in Creta insula ambulantes finxit conlocutores. Hac denique mutatione impulsus esse uidetur, ut Cretensem quendam et Lacedaemonium illi adiungeret, item ut coloniam condendam, cui leges constituerentur, simularet. Quonam consilio in Platonis opere genuino leges latae sint, non contigit mihi inuestigare, id unum persuasum habeo de certa urbe non fuisse quaestionem.

Vides me de hospite Atheniensi consentientem cum schola Academica. Eam usam esse ratiocinatione mea cum uix credibile sit, nescio an ei scriptor uisus sit in hospite depingendo non nullos ut ita dicam colores adhibuisse, qui illi interpretationi fauerent. Neque ego hoc negauerim. Itinera Platonis fortasse indicantur I 639 D (cf. Ep. VII 326 B), studia eius mathematica, utpote quibus senior demum factus diligentius incubuerit, respiciuntur VII 819 D, 821 E. Eodem spectant laudes in hospitem Atheniensem uel ab ipso conlatae, quae maxime redolent discipulum parum festiue admirationem et amorem erga magistrum profitentem. Minime placent uerba Megilli I 632 C sine dubio in honorem Platonis praecipue scripta. Cf. Bergkii p. 76, 1. Praeterea inspicias I 626 D cum scholio, I 634 E, III 683 C, VII 811 C D, VIII 857 C. Etiam IIII 709 E sqq., si recte suspicor scriptorem haec componentem Dionysium et Platonem habuisse in animo, huc referenda sunt, ante omnia 710 C νομοθέτην ἄξιον ἐπαίνου et 711 E εἰ δ' οὖν γέγονεν ἢ καὶ γενήσεται τοιοῦτος (qualis Nestor fuit) ἢ νῦν ἡμῶν ἔστι τις, μακαρίως μὲν

improbet? Significari ille censet uoce ἔτος magnum annum i. e. dodecaeterida Chaldaeorum, δέκα ἔτη igitur facere annos centum uiginti. Licet concedamus in oraculis talem ambiguitatem esse usitatam, tamen ad simplicem narrationem ἐλθὼν δὲ πρὸ τῶν Περσικῶν δέκα ἔτεσι πρότερον . . ἐθύσατο explicatio illa nullo modo pertinere potest. Restat igitur l. a. ratio temporum perturbata, quam Platonem inscium admisisse nego. Zeller *Abhandl. der Berl. Acad. 1873* p. 95—97 idem professus conicit mendum ab editore (quem ex Italia ortum minus mirabimur illarum rerum ignarum fuisse) inlatum esse imitante Conuiuii locum p. 201 D. Hoc quamuis ingeniose excogitatum nunc non curo, illud summo opere probo et nouo argumento confirmasse mihi uideor. Satis memorabile est Brunsio p. 57, 64 totam hanc partem libri primi 641 B—643 B causis prorsus diuersis grauissimam suspicionem mouisse. Neque Bergkium p. 77 fugit narratiunculis illis tractationem propositam male interrumpi.

Simili modo peccatum est in temporis dispositione per totum dialogum facta. Conloquuntur senes tres migrantes ab urbe Cnoso ad antrum Iouis die solstitiali aestatis (III 683 C, ubi σχεδόν, ut persaepe in his libris, propria ui carere uidetur). Profecti sunt prima luce (IIII 722 C, VII 811 C). In fine libri quarti legimus iam meridiem esse factum. Qua re nemo erit quin maxime offendatur. Nam per tot horas a sole oriente ad meridiem longi illius diei cum senes lentiore quam par est sermone usi ne tertiam quidem partem dialogi absoluerint, media nox praeteribit priusquam ei finis imponatur. Quem euentum eo magis respicere debebat scriptor, quod conlocutores facit in itinere uersantes. At tamen per quinque libros extremos neque loci neque temporis ulla fit mentio.

Etsi iudicium ex Aristotelis testimonio haustum habitu et forma Legum ipsarum stabiliui, summam quaestionem adhuc praetermisi. Necessarium enim est causam indagare probabilem, cur Philippus opus sibi commissum adeo penitus

inmutauerit. Atque hac in re ualet ni fallor explicatio Zelleri *Plat. Stud.* p. 53, quam inuenit tum cum Leges subditicias esse ostendere studuit. Scilicet Philippus magistro mortuo idem praestare cupiens, quod is Socrati persaepe praestiterat, illi ipsi primas partes dialogi tradere constituit. Cum uero Plato in libris suis nusquam intersit conloquio, nominatim eum inducere non ausus est, ne Leges spuriae putarentur. Secutus igitur exemplum Sophistae et Politici praeceptorem quasi occultauit sub persona hospitis Atheniensis. Porro cum intellegeret uirum Atheniensem Athenis ipsis commorantem absurde appellari Ἀθηναῖον ξένον, loco mutato in Creta insula ambulantes finxit conlocutores. Hac denique mutatione impulsus esse uidetur, ut Cretensem quendam et Lacedaemonium illi adiungeret, item ut coloniam condendam, cui leges constituerentur, simularet. Quonam consilio in Platonis opere genuino leges latae sint, non contigit mihi inuestigare, id unum persuasum habeo de certa urbe non fuisse quaestionem.

Vides me de hospite Atheniensi consentientem cum schola Academica. Eam usam esse ratiocinatione mea cum uix credibile sit, nescio an ei scriptor uisus sit in hospite depingendo non nullos ut ita dicam colores adhibuisse, qui illi interpretationi fauerent. Neque ego hoc negauerim. Itinera Platonis fortasse indicantur I 639 D (cf. Ep. VII 326 B), studia eius mathematica, utpote quibus senior demum factus diligentius incubuerit, respiciuntur VII 819 D, 821 E. Eodem spectant laudes in hospitem Atheniensem uel ab ipso conlatae, quae maxime redolent discipulum parum festiue admirationem et amorem erga magistrum profitentem. Minime placent uerba Megilli I 632 C sine dubio in honorem Platonis praecipue scripta. Cf. Bergkii p. 76, 1. Praeterea inspicias I 626 D cum scholio, I 634 E, III 683 C, VII 811 C D, VIII 857 C. Etiam IIII 709 E sqq., si recte suspicor scriptorem haec componentem Dionysium et Platonem habuisse in animo, huc referenda sunt, ante omnia 710 C νομοθέτην ἄξιον ἐπαίνου et 711 E εἰ δ' οὖν γέγονεν ἢ καὶ γενήσεται τοιοῦτος (qualis Nestor fuit) ἢ νῦν ἡμῶν ἔστι τις, μακαρίως μὲν

αὐτὸς ζῇ, μακάριοι δὲ οἱ ξυνήκοοι τῶν ἐκ τοῦ σωφρονοῦντος στόματος ἰόντων λόγων. Cf. adnotationem Stallbaumii.

Absoluta quaestione de externis quae nuncupabam res ipsas nunc in Legibus tractatas comparemus cum iudicio Aristotelico. Ante uero quam progredior, iuuat ex materia comparata quasi fundamentum disputationis sequentis exstruere. Vbicunque res propriae conlocutorum attinguntur, ubicunque Cretae insulae ut loci dialogi et temporis conloquii, ubicunque coloniae in Magnetum fines deducendae mentio fit, Philippi manum agnosco.

Iam transeamus ad interna atque primum disseramus de statu rei publicae. Opinio p. 1265 b 31 Platoni adsignata, quam noli accipere quasi condicionaliter scriptam, defenditur locis Legum V 739 A E, VII 807 B, quibus luce clarius fit philosophum uoluisse ciuitatem describere ab optima in Re publica exstructa secundam. Non aeque enuntiatum antecedens εἰ μὲν οὖν ὡς κοινοτάτην ταύτην κατασκευάζει ταῖς πόλεσι τῶν ἄλλων πολιτείαν, καλῶς εἴρηκεν ἴσως confirmatur libris traditis. Similia enim uerba, quae exspectamus propter εἴρηκεν, in Legibus non leguntur.

Speciem ciuitatis Aristoteles acutissime ut opinor indicat p. 1265 b 26: tota compositio neque democratia neque oligarchia esse uult sed media inter eas quam uocant politiam. Eadem sententia pluribus explicatur simul et corrigitur p. 1266 a 6—22. Ex uoce βούλεται p. 1265 b 27 dubito num liceat argumentari iudicium propositum ex ipsis Legibus desumptum esse, hoc tamen dico Aristotelem non potuisse silentio premere explicationem diuersam ibi repertam. Inspiciamus libros traditos. IIII 712 B interrogationem satis expressam ἀλλὰ τίνα δή ποτε πολιτείαν ἔχομεν ἐν νῷ τῇ πόλει προςτάττειν; non sequitur certum responsum. Digressione facta quaestio paululum mutata repetitur 715 A: σκόπει δὴ ποτέροις τισὶν ἡ πόλις ἡμῖν ἐστι παραδοτέα. Neque hic de summa re docemur. Nimis enim generatim atque uniuerse loquitur hospes Atheniensis iubens non diuitias, potestatem, genus respici in tradendo imperio sed oboedientiam leges datas pie seruantem.

Vsque ad finem libri sequentis pleniora de forma rei publicae non comperimus. In sexto demum libro data occasione, ubi disseruit de ratione senatores creandi, profitetur scriptor 756 E: ἡ μὲν αἵρεσις οὕτω γιγνομένη μέσον ἂν ἔχοι μοναρχικῆς καὶ δημοκρατικῆς πολιτείας, ἧς ἀεὶ δεῖ μεσεύειν τὴν πολιτείαν. Si quid uideo in delectu antea exposito ne ullum quidem uestigium adest potestatis regiae, immo rectissime Aristoteles p. 1266 a 14 ὀλιγαρχικὴν δέ ait ποιεῖ καὶ τὴν τῆς βουλῆς αἵρεσιν. Enuntiatum uero subsequens propter formam pluralem δεσπόται in utramque partem potest accipi. Veri simile arbitror Platonem scripsisse ὀλιγαρχικῆς, Aristotelem autem hunc quoque locum habuisse ante oculos, cum iudicium ferret supra commemoratum. Moneo fortasse sermonem ipsum manum alteram prodere uocabulo μεσεύειν non Platonico et structura prope barbara ἧς . . δεῖ μεσεύειν. Sententiam modo explosam ex libro sexto iam III 693 D, 701 E defensam esse scio, tamen cum in constituenda urbe prorsus neglegatur neque respiciatur ab Aristotele, a Legum ciuitate eam derogandam esse censeo. Sed nunc apparet cur l. a. aduersus expositionis conexum mutauerit Philippus.

Porro Aristoteles tradit p. 1266 a 1 in Legibus dictum esse optimam ciuitatem e democratia et tyrannide compositam esse debere. Doleo quod criticus cum in p. 1266 a 22—25 sine dubio huc pertinentibus pro uoce τυραννίς adhibeat μοναρχία quaestionis difficillimae etiam auget difficultatem. Vt sequar prioris loci uerba, perducor enuntiato relatiuo. Illud edictum in Legibus quales hodie exstant neque expressis uerbis usquam perhibetur (εἴρηται) neque ullo modo adumbratur. De tyrannide inueniuntur in illis duae opiniones non bene concinentes. IIII 710 E adfirmatur in optimam ciuitatem posse transformari facillime tyrannidem, tum regnum, tertio loco democratiam, postremo oligarchiam, scilicet cum legis lator ingeniosus adiutus ab iis, qui urbi praefecti sunt, rem publicam regat et administret. Contra VIII 832 B democratia, oligarchia, tyrannis uocantur οὐ πολιτεῖαι. Vbi cum adiciatur ἃς πολλάκις εἴρηκα ἐν τοῖς πρόσθεν

λόγοις respici potest sola IIII 712 E cl. 712 C. Hoc iudicium uide quam mire congruat cum uerbis Aristotelicis Platonem impugnantibus ἃς ἢ τὸ παράπαν οὐκ ἄν τις θείη πολιτείας ἢ χειρίστας πασῶν. Cf. III cap. 7. Num credibile est talia oppositurum eum fuisse magistro, si locum adlatum cognouisset? num probabile Platonem in eodem opere tyrannidem atque democratiam et reiecisse omnino et pro fundamentis optimae ciuitatis habuisse?

P. 1265 b 18 adnotat Aristoteles in Legibus non perspicue esse explicatum sed imagine quadam significatum, quo modo inter se qui regunt quique reguntur differant. Cum reprehendat ambiguitatem rei, eo magis ad uerbum exscriptam proponere debet imaginem. Quam ob rem ipsius uerba adfero: φησὶ γὰρ δεῖν, ὥσπερ ἐξ ἑτέρου τὸ στημόνιον ἐρίου γίνεται τῆς κρόκης, οὕτω καὶ τοὺς ἄρχοντας ἔχειν δεῖν πρὸς τοὺς ἀρχομένους. Talem comparationem facete adhiberi ad inlustrandum illud discrimen quiuis concedet. Sed contemplemur locum Platonicum, quem unum conferre licet cum uerbis commemoratis. Exstat V 734 E sq. laboratque obscuritate philosopho indignissima, quam explanare uel tollere potius uiri docti alii aliter studuerunt. Primo obtutu incerti haeremus, qua ratione sententias inter se conectamus. Comparatio uoce καθάπερ coepta non continuatur modo solito. Atque ego quidem Brunsium (diss. p. 8—12) secutus non dubito, quin ea referenda sit ad enuntiatum statim subiunctum ὅθεν δὴ τοὺς μεγάλας ἀρχὰς ἐν ταῖς πόλεσιν ἄρξοντας δεῖ διακρίνεσθαί τινα τρόπον ταύτῃ καὶ τοὺς σμικρᾷ παιδείᾳ βασανισθέντας ἑκάστοτε κατὰ λόγον. Mutationem Buechelero auctore ab illo propositam (σμικράς pro σμικρᾷ) et a Schanzio receptam, quamuis, ut est lenissima, ita sententiam sanam efficiat, probare non audeo, cum longius nos abducat ab Aristotele. Neque uero contendo eius ἄρχοντας et ἀρχομένους aperte describi illis uerbis, tamen quasi umbra similitudinis restat, cum inter se opponantur οἱ μεγάλας ἀρχὰς ἄρξοντες et οἱ σμικρᾷ παιδείᾳ βασανισθέντες. Codices deteriores et Stobaeus, cuius consensus non habeo aliud exemplum aeque

luculentum, etiam propius accedere uidentur ad Aristotelem, cum praebeant οἱ τὰς ἀρχὰς ἄρξοντες κτέ. Sed ut finem faciam, me iudice fieri non potest, ut Aristoteles ex loco tractato, qualis seruatur insertus inter alienissima ipse obscurus, conformarit iudicium suum. Valde gaudeo, quod iam Bruns p. 189—192 eius loci retractationem Philippicam agnouit. Cuius rei accedit nouum argumentum. Imaginem non iisdem uerbis depingi ab utroque neminem fugit. Satis uero memorabile est Aristotelem ut ita dicam magis Platonice loqui quam Leges. Vox ἐφυφή neque in reliquis dialogis neque apud alium scriptorem uetustiorem inuenitur, ita ut rarissima aut parum urbana fuisse censenda sit. Certe Pollux VII 30 nostrum locum explicare necessarium putabat: Πλάτων δὲ ἐφυφὴν καλεῖ τὴν κρόκην. Haud fere aliter de uoce ξυνυφή statuendum est. Inusitata est Platoni omnibusque ueteribus excepto uno, quod grauissimum duco, Philippo. Epin. 975 B exstat οἰκήσεων . . ξυνυφή. Contra Aristoteles discedens a contextu Legum adhibet uerba Platoni usitatissima, quod uix fortuito accidit. Conferas Crat. 388 B et Politic. 279 B sqq., ubi in simili exemplo uocabula στήμων, κρόκη, ἐρίον non uno loco inuenies. Sane Aristoteles deminutiuo στημόνιον utitur, quod in magistri scriptis non exstat. Eam mutationem etsi facile excusamus, tamen silentio non praeteribo eandem illam formam exhiberi in codicibus Stobaei Legum l. a. exscribentis. Flor. 44, 49 traduntur uerba διαφέρειν δὲ ἀναγκαῖον τὸ τῶν στημονίων πρὸς ἀρετὴν γένος.

De numero ciuium quod Aristoteles, cum quinque milia ponat, paululum discrepat a Legibus, nullius momenti facerem, nisi ex numero quinque milium quadraginta lusum fere puerilem ortum uiderem. Nam ut concedam argutas computationes V 737 E sqq. factas non esse alienas a Platone, hoc contendo in commentatione de eadem re denuo similiterque instaurata VI 771 A—C unum certe enuntiatum ab eo abiudicandum esse. Dico hoc: αὕτη δ' ἔχει σμικρότατον ἴαμα· ἐπὶ θάτερα γὰρ ὑγιὴς γίγνεται δυοῖν ἑστίαιν ἀπονεμηθείσαιν (771 C). Haec ineptiae sunt. Nimirum quemuis numerum quo-

uis possumus diuidere, si permittitur ut pauca addamus uel demamus. Supra V 737 E, 738 A scriptor satis habet pronuntiare multitudinem colonorum decem primos deinceps numeros in se continere diuisores quos uocamus, hic grauius ut dicere possit medelam absurdam admittit.

Ad numerum ciuium praeter reprehensionem initio tractatam altera pertinet, quam uix intellegimus nedum probemus perlustrando Leges. P. 1265 a 38 uituperatur Socrates, quod procreatione liberorum certis finibus non inclusa eundem numerum ciuium seruare non possit. Id uero esse necessarium, cum bona sint indiuidua et inmutabilis numerus domorum. Repetitur ea uituperatio p. 1266 b 8 sqq. Confitendum quidem est in Legibus non certum numerum liberorum constitui, tamen cautum est ne multitudo incolarum augeatur. Oratione habita in primis hac de re hospes admonet ciues V 741 B: καὶ δὴ καὶ νῦν τὸν ἀριθμὸν μὲν πρῶτον διὰ βίου παντὸς φυλάξατε. Quo modo tueri possint antea docet (740 B — 741 A). Vni ex filiis tribuitur domus et ager, reliqui adoptantur a uiris orbis, filiae nuptum dantur. Sin oriuntur hac in re difficultates, summus magistratus uideto, ne ulla mutatio sit necessaria. Remedia complura enumerantur. Atque primo loco idem illud occurrit, quod Aristoteles desiderat. Nam uerba καὶ γὰρ ἐπισχέσεις γενέσεως, [οἷς] ἂν εὔρους ᾖ γένεσις, καὶ τοὐναντίον ἐπιμέλειαι καὶ σπουδαὶ πλήθους γεννημάτων εἰσὶν τιμαῖς τε καὶ ἀτιμίαις καὶ νουθετήσεσι πρεσβυτῶν περὶ νέους διὰ λόγων νουθετητικῶν ἀπαντῶσαι δυναταὶ[1] ποιεῖν ὃ λέγομεν irritum paene reddunt opprobrium illius: ἄτοπον . . ἀφεῖναι τὴν τεκνοποιίαν ἀόριστον. Quid quod illae retentiones certo demum temporis spatio intermisso adhibentur? VI 784 B ἡ δὲ παιδοποιία καὶ φυλακὴ τῶν παιδοποιουμένων δεκέτις ἔστω, μὴ πλείω δὲ χρόνον, ὅταν εὔροια ᾖ τῆς γενέσεως· Habemus sane hic finem (ὅρον) gignendi constitutum, qui idoneus sit ciuitati in Legibus exstructae

[1] Sequor Schneiderum, etsi displicet praedicatum diruptum. — Cum l. a. conferas 746 A.

necne non diiudico. Vltimum uero auxilium semper praebebit coloniae deductio. Cum Aristoteles, ut perspicuum est, priorem partem expositionis Platonicae respexerit (cf. V 740 BC cum p. 1265 a 41), posteriorem prorsus neglegere non potuit. Sequitur ut hanc non continuerit Legum exemplar Aristotelicum.

P. 1265 b 21—23, item 1266 b 5—8 Aristoteles nobis narrat Platonem permittere, ut tota res familiaris amplificetur usque ad summam quincuplicem. Non possumus critico adstipulari cum inspicimus Legum V 744 E, quo loco de illa materia agi constat. Aliter enim nemo interpretabitur sententiam philosophi quam ut intellegat mensuram esse ex pretio ipsius praedii idque licere quadruplicari. Summae igitur totius pars est ager domusque. Hanc discrepantiam ut leuem errorem scriptoris praetermitteremus, si sola animaduerteretur. Cum aliis adiungatur, arbitrium meum confirmat. Quin etiam suspicio mihi est, cur Philippus in animum induxerit a magistri instituto paululum recedere. V 744 B C in quattuor classes secundum diuitias distribuuntur ciues sine dubio exemplo Athenarum urbis (III 698 B) adhibito. Neque tamen usquam comperimus, quanta pecunia cuique classi adsignata sit. Cuius rei sanandae cupidus ni fallor Philippus illam legem ab Aristotele commemoratam ita inmiscuit, ut infimae classi praedium ipsum constitueret finem possessionis, tertiae duplum praedii, secundae triplum, primae quadruplum. Huic explicationi fauet quod altera commentatio alteri arte applicatur his uerbis 744 D: τόδε δ' ἐπὶ τούτοις αὖ νόμου σχῆμα ἔγωγε ἂν τιθείην ὡς ἑπόμενον. Singuli deinde crescentis rei familiaris gradus propterea enumerari uidentur, ut singulis classibus incolarum respondeant. Etenim si ultimum tantum terminum bonorum uoluisset declarare, suffecisset enuntiatum ita conformare: μέτρον δὲ αὐτὸν θέμενος ὁ νομοθέτης ἐάσει τούτου κτᾶσθαι μέχρι τετραπλασίου, sicut Aristoteles scribit τὴν πᾶσαν οὐσίαν ἐφίησι γίγνεσθαι μείζονα μέχρι πενταπλασίας. Denique mecum facit scholiasta in summario Legum extremo. Sine dubio enim ea ratione, quam modo indicaui, classes quattuor accipit disiunctas, etsi de prima tantum et

quarta disserit. Certos numeros τετρακοσίων et ἑκατόν Solonem quodam modo imitatus finxisse uidetur.

Ad propriam legum institutionem conuertentes nos primum aggrediamur quaestionem, quibusnam rebus illae accommodari debeant. Aristoteles consilium Platonis sic refert p. 1265 a 18—20: λέγεται δ' ὡς δεῖ τὸν νομοθέτην πρὸς δύο βλέποντα τιθέναι τοὺς νόμους, πρός τε τὴν χώραν καὶ τοὺς ἀνθρώπους. Sequitur additamentum critici: ἔτι δὲ καλῶς ἔχει προςθεῖναι καὶ πρὸς τοὺς γειτνιῶντας τόπους, εἰ δεῖ τὴν πόλιν ζῆν βίον πολιτικόν. Claris uerbis, quod ex Aristotele suspicaberis, duae illae rationes in Legibus non proferuntur, coniunctas uero nusquam inuenies. Tertiae autem rationi ab Aristotele frustra, ut quiuis concludet, quaesitae nescio an maior quam illis tribuatur grauitas. Omnes locos, qui huc trahi possint, paucis recensebo. Initio libri quarti hospes primum de qualitate terrae tum de incolis inquirit, tamen neque libere profitetur ex illa expositione pendere legum lationem neque eius in legibus postea constituendis ullam habet rationem. Totam eam partem operis, si bene meministi, a Platone abiudicandam esse persuasum habeo. Quam ob rem noli mirari, quod 704 C urbes uicinae respiciuntur. Magis offendat quis quod Aristoteles non tenuisse memoria uidetur V 737 D. Certe uerbis ὄγκος δὴ πλήθους ἱκανὸς οὐκ ἄλλως ὀρθῶς γίγνοιτ' ἂν λεχθεὶς ἢ πρὸς τὴν γῆν καὶ πρὸς τὰς τῶν πλησιοχώρων πόλεις idem postulatur, quod postulat Aristoteles. Quin etiam simile consilium subest utrique scriptori. Aristoteles urbem tantis uiribus uti iubet, ut populis confinibus terrorem inicere aggressosque repellere possit, in Legibus etiam maiora adpetuntur, cum praeterea postuletur, ut ciues uicinis iniurias passis auxilium ferre possint. Num credibile est Aristotelem, cum statim post uerba faciat de notione σωφρόνως ζῆν, quam disputationem non est quo aptius referamus quam ad enuntiati illius finem γῆς μέν, ὁπόση πόσους σώφρονας ὄντας ἱκανὴ τρέφειν, πλείονος δὲ οὐδὲν προςδεῖ, prorsus oblitum fuisse eiusdem sententiae partis alterius? Postremo commemoro V 747 D μηδὲ τοῦθ' ἡμᾶς

λανθανέτω περὶ τόπων ὡς οὐκ (?) εἰσὶν ἄλλοι τινὲς διαφέροντες ἄλλων τόπων πρὸς τὸ γεννᾶν ἀνθρώπους ἀμείνους καὶ χείρους, οἷς οὐκ ἐναντία νομοθετητέον. Sed haec pertinent ad eligendum locum habitandi, quam ob rem nostram quaestionem uix attingunt.

De legibus singulis ferre iudicia non propositum est Aristoteli, quippe qui inquirat de optimo statu rei publicae. Nihilo minus interdum minutiora quoque respicit e. gr. p. 1274 b 11—12 legem potandi τὸ τοὺς νήφοντας συμποσιαρχεῖν. Finem illius capitis uel totum caput qui adducunt in suspicionem mihi non persuaserunt; utar igitur ea expositione pro genuina. Lex illa bis commemoratur in libris nostris I 640 D et II 671 D. Hunc uero locum a Philippo ad exemplum prioris esse consarcinatum cum Bruns p. 37 sqq. egregie demonstrauerit, nobis res est cum solo libro primo. Atque hic me in summas angustias incidere intellego. Etenim et Bruns et Bergk librum primum segregant a legibus coloniae datis (l. V sqq.), quibus libri secundi maximam partem adsignant. Haec si recte faciunt, coniectura mea redarguitur, cum Aristoteles utriusque quod accipiunt operis reliquias nouisse conuincatur. Quasi fundamentum quaestionis mecum unus quisque agnoscet hoc: lex conuiualis libri primi et usus uini in libro secundo constitutus nullo modo possunt inter se conciliari. Plus non dixerim, non enim necesse est librorum alter totus reiciatur, cum uterque fragmentis constet. Lex[1] nostra exstat loco a re proposita paulułum aberrante. Ab 637 D disseritur de ebrietate transitu ad nouam materiam ualde miro uel potius nullo facto. Cf. Brunsii p. 20, Bergkii p. 77, 1. Nam uerba ἔτι γὰρ οὖν εἴπωμεν πλείω περὶ ἁπάσης μέθης, quam-

[1] Ὁ περὶ τὴν μέθην νόμος ab Aristotele, τὸ περὶ τὰς πόσεις νόμιμον Leg. I 641 A appellatur institutum illud, ita ut non praefationi sed ipsi ciuitatis νομοθεσίᾳ tribuendum sit. Eandem speciem prodit tota de ebrietate commentatio: I 638 D τῶν ἄλλων νομίμων, 648 A C E (νομοθέτης). Verbis 648 A εἴτε Κρησὶν εἴθ' οἱςτισινοῦν νομοθετεῖς (cf. 650 B) frustra studet scriptor illam speciem delere, cum praesertim uoce Κρησίν ipse prospicere uideatur ad coloniam Cretensem.

quam opprobrio Megilli 637 A quodam modo applicantur, conexum prorsus interrumpunt. Tamen licet consilium scriptoris perspicere. Viro Lacedaemonio ebrietatem summo opere uituperanti explicari uult eam ipsam, si recte adhibeatur, futuram esse ἐπιτήδευμα τῆς σωφροσύνης (647 D). Vide 637 D οὐ γὰρ σμικρόν ἐστι τὸ ἐπιτήδευμα οὐδὲ φαύλου διαγνῶναι νομοθέτου conlatis 632 E, 635 E, 638 B C, 640 E, 646 A. Tali ni fallor consilio impulsus ui quadam adiungit quaestionem de ebrietate, qua occupatus (642 A) ex dispositionis pristinae (632 E) finibus egreditur. Rem ipsam nondum aggressus praefationis ut uidetur loco 638 C—641 A de ratione inquirendi agit, quaenam esse debeat et de ebrietate et de aliis legibus conloquentibus. Institutum aliquod utrum laudandum an reiciendum sit, diiudicari nequit, nisi optimo habitu uersatur ante oculos. Compotationem igitur, nisi sobrius et sapiens uir ei est praefectus, nulli iure licet reprehendere. Haec digressio arte cohaereat cum proposito necne, non facile est cognitu. Bruns initio (p. 25) minus certus est, tum p. 27 sq. illam expositionem necessariam esse ad inlustrandam sequentem contendit. Id ne concedam hac obseruatione prohibeor. In digressione sicut par est semper agitur de potatione complurium (ξυμπότας 639 D, συνουσία 640 C D, cf. II 671 E, 673 E), in propria autem tractatione nusquam compotationes multorum hominum commemorantur. Sane ubi redit Clinias ad thema quod uocamus 641 A, habemus uocem συμποσίου nec multo post τὴν ἐν τοῖς οἴνοις κοινὴν διατριβήν, item initio libri II τῆς ἐν οἴνῳ συνουσίας, tamen inde a 645 D ad finem scriptor explicans tandem utilitatem ebrietatis de singulis tantum uerba facit 645 D, 647 C, 649 A. Quin etiam in exemplo adlato 647 E—648 E planis uerbis permittitur, ut potu illo ficto solus quis utatur uel una cum aliis (648 C—E). Non est cur putemus uinum i. e. τῆς ἀφοβίας πῶμα 649 A diuersa ratione adhibendum esse quam illud φάρμακον τοῦ φόβου. Profecto homo aliquis melius ut opinor educabitur, si ebrius factus ipse sua sponte opprimat uoluptates nimis audaces quam si a praeside seuero coerceatur. Itaque dissertatio de ratione compotandi, etsi bene conciliari potest cum

utilitate quae perhibetur ebrietatis, tamen a Philippo demum aliunde sumpta huic conexui inserta esse uidetur. Testimonium igitur Aristotelis pertinet ad solum fragmentum paginis 639 A—641 A circumscriptum.

Iam uideamus utrum lex nostra an usus uini qualis iubetur in libro secundo quadret in instituta l. V—XII enumerata. Ebrietatis ibi mentio fit uno tantum quod sciam loco [1] VI 775 B: πίνειν δὲ εἰς μέθην οὔτε ἄλλοθί που πρέπει πλὴν ἐν ταῖς τοῦ τὸν οἶνον δόντος θεοῦ ἑορταῖς, οὐδ' ἀσφαλές, οὔτ' οὖν δὴ περὶ γάμους ἐσπουδακότα, ἐν οἷς κτέ. De integritate totius expositionis dubitatio nulla exsistit, quod optime adiungitur iis quae antecedunt. Iure miretur aliquis, quod de ebrietate disserens scriptor nullam habet rationem prioris partis conloquii, cum praesertim praeceptum 775 B et E datum iam legatur II 674 B. Tamen paulo differt hic locus ab illo. In fine libri non, quod exspectamus, firmum iudicium de uino profertur, immo relinquimur incerti, utrum libri primi usum bibendi accipiamus an seueritatem sequamur libri secundi (673 E). Qua in re laxa compages duorum librorum, quam Bruns aperuit, ridiculo fere modo elucet. In altera eius ambiguitatis parte scriptor profitetur, si quis permittat, ut quiuis sua sponte uinum bibat, se potius adstipulaturum esse legi Carthaginiensium [2], cuius grauitatem ilico exponit. Vt alia praeteream, omnes uetantur interdiu uinum gustare, item noctu quicunque liberos procreare student et uiri et feminae. Vides hanc legem seueriorem esse illa adhortatione libri sexti — non enim legis obtinet formam — tamen ambas inter se cognatas esse patet. Pro certo habeo ex loco posteriore haustum esse priorem, quem non esse Platonicum iam Bruns (p. 51) sibi persuasit. Veniamus ad grauiora. Admonitioni huic πίνειν δὲ εἰς μέθην κτέ. prorsus aliud subiectum est iudicium de uino, quam quod inuenimus

[1] Bruns hunc locum non respexit. Bergkium eius omnino non fuisse memorem elucet ex p. 66, 4.

[1] De Bergkii coniectura Καλχηδονίων uel Χαλκηδονίων cf. Erwinum Rohde in *Gött. gel. Anz. 1884* p. 11—12.

in libro secundo. Nam cum ex professo dicatur dedecere ciues succumbere ebrietati, ipsum bibere uinum conceditur, quin etiam diebus festis Bacchi dono dei uinci licet. Memineris quaeso Megillum I 637 B hanc ipsam licentiam ut alienam a Lacedaemoniis reicere, cui opprobrio ut aduersetur disputationem περὶ μέθης incohat Atheniensis hospes. Nonne suspicamur adfinitatem quandam sententiarum hic et illic prolatarum? Lex saltem conuiualis, quam nisi diebus festis non usurpari consentaneum est, ad eandem rem publicam potest spectare atque adhortatio illa. Quae cum ad ciues adultos referenda sit, nescio an non pugnet cum tota de ebrietate commentatione, utpote quae iunioribus tantum destinata sit.

At in libri secundi 666 A sq. pueri minores duodeuiginti annis omnino uetantur uinum bibere, iuuenes usque ad annum tricesimum ebrietate saltem abstinere utique iubentur, senioribus uero, id quod oppositis enuntiatis discimus, μέθη καὶ πολυοινία permittuntur. Haec frustra conamur conciliare cum libro sexto. Tamen, ut est sutoria praecipue priorum librorum compositio, oritur quaestio num censeamus in toto libro nullum contineri institutum nouae ciuitatis, quod illam legem ab ea defendimus. Id minime censendum est. Non potest dubitari, quin restent hic fragmenta ad educationem libro septimo tractatam reuocanda. Ibi non semel relegamur ad expositiones antecedentes (796 D E, 797 A, 798 D, 812 B, 813 A). Tamen musicae tantum artisque gymnasticae nos commonefacit scriptor, nusquam neque hic neque alibi trium chororum. Accuratiore explicatione indiget 812 B, quo de loco non recte me iudice Bruns p. 69, 71, 116 disputat. Non sequitur ex iis uerbis, ut chorus Bacchi constitutus fuerit nouae ciuitati. Primum enim patet uerbum ἔφαμεν scriptum esse eo consilio, ut reuocaremur ad librum secundum. Patet iis quae paulo antecedunt τῶν ἔμπροσθεν λόγων ἀναμνησθέντας. De particula ἔμπροσθεν conferre iuuat exempla grauissima. 803 C ὅπερ εἴπομεν ἔμπροσθεν ad I 644 D spectat dispositione operis eadem ac traditur adhibita. Nam illa pars 803 A—804 B, quod Bruns p. 93—106 probauit, non est Platonis. Simili ratione ἐν τοῖς πρώτοις λόγοις 796 D (Bruns p. 91), ἐν τοῖς πρόσθεν 797 A, τοῖς ἔμπροσθεν λόγοις 798 D, τῶν ἔμπροσθεν λόγων 812 B, πρὸς τοῖς ἔμπροσθεν εἰρημένοις 813 A ad libri secundi expositiones ut sunt magno spatio distantes referenda sunt. Debentur igitur hae quasi fibulae diremptas operis partes compingentes Philippo. Cum uero discipuli additamentum agnouerimus 812 B, nonne fieri potest, ut idem hic inseruerit Bacchi cantores, sicut extremo libro secundo inculcauit institutum praecedentis? Quae opinio compluribus causis maxime commendatur. Atque primum quidem illi senes nostro loco nihil ualent. Incipitur 812 B quaestio de citharista secundum dispositionem 809 C praeceptam. Transitio fit his uerbis: ἆρ' οὖν οὐ μετὰ τὸν γραμματιστὴν ὁ κιθαριστὴς ἡμῖν προςρητέος; Quae ni fallor sic intellegenda sunt: nonne postquam egimus de grammatista adloquendus est citharista? προςειπεῖν enim significat aut 'nomine aliquo appellare' aut 'adloqui'. Nec uero subsequitur adlocutio. Tum Atheniensis hospes, quamquam statim grauitate quadam repetit, quae in libro secundo explicuit, tamen ea in usum suum non conuersa neglegit inde a 812 D. Quin etiam haeremus quo referamus τούτων .. χάριν. Secundum artem grammaticam si τούτων interpretamur τῶν ᾠδῶν, oritur sententia absurda. Neque uertendo 'propterea' satis facimus conexui. Accedit quod in fine orationis 812 E sq. hospes, ubi de ratione canendi finiuit disputationem, de cantibus ipsis quales docendi sint iam supra i. e. 799 A sqq. satis se dixisse profitetur. Inde apparet paulo antea explicationem ex libro secundo depromptam superuacaneam esse, ne dicam non ferendam. Super est dubitatio grauissima. Quinam sunt 'Bacchi cantores sexaginta annorum'? Nusquam alibi occurrunt. II 664 D e contrario legitur τοὺς δὲ μετὰ ταῦτα i. e. ἑξηκοντούτας, οὐ γὰρ ἔτι δυνατοὶ φέρειν ᾠδάς, μυθολόγους περὶ τῶν αὐτῶν ἠθῶν διὰ θείας φήμης καταλελεῖφθαι. Ergo non sunt ᾠδοί. Idem senes praeficiuntur conuiuiis 671 E nomine imposito ἡγεμόνες τοῦ Διονύσου. Quae uero 812 B proferuntur, sine dubio spectant ad chorum ter-

tium qui uocatur Bacchi. Inspicias II 670 A B. Bergk p. 69, 2, ut diluat controuersiam, mutat 812 B ἑξηκοντούτας in πεντηκοντούτας. Sed caueamus Leges Platonicas quales traditae sunt coniecturis magis confundere quam enodare. Ipsis erroribus et sententiarum inconstantia, si quid uideo, ansa nobis praebetur separandi Platonem et Philippum. Auxilio est proprietas sermonis, quam diligenter obseruare quam delere mutationibus utilius duco. Etiam hac in re cum Bergk non semel peccet, multarum quas proponit coniecturarum mihi quidem paucissimae adrident.

E re est paucis amplecti, quae me declarasse spero. Lex conuiualis libri primi bene congruit cum usu uini qualis in libro sexto commendatur, contra cum hoc et illa pugnat institutio trium chororum. Profecto in urbis nouae descriptione eorum mentio fit uno tantum loco, quem Philippo iure nostro adsignauimus. Chori igitur tres in ciuitate lib. V sqq. exstructa admitti nequeunt. Tamen cum Brunsio consentio fragmenta inesse in libro secundo olim contextum libri qui nunc inscribitur septimi explentia. Puto haec esse: 653 A λέγω τοίνυν — C προςαγορεύοις expositionem de educandi ratione, cui adiungas I 643 B—644 A (Bruns p. 58), 653 D ὁρᾶν οὖν (cod. ἃ) χρή — 657 C τὰ νῦν λεχθέντων, 657 C ἆρ' οὖν θαρροῦντες — 660 A ὀρθῶς ποιεῖν. Enuntiatum 653 C D τούτων γὰρ δὴ . . μετὰ θεῶν non possum non summo opere addubitare. Taceo de structura parum eleganti, magis displicet sententia. Quid sibi uolunt hoc loco deorum dies festi misero generi hominum requiem laborum praebentes? Scilicet redintegrant (ἵν' ἐπανορθῶνται) educationem oneribus uitae laxatam atque corruptam. Quid quod breui post legimus θῶμεν παιδείαν εἶναι πρώτην διὰ Μουσῶν τε καὶ 'Απόλλωνος (cf. VII 769 E) ἢ πῶς; ΚΛ. Οὕτως.? Eruditio ergo ab initio per Musas et Apollinem instituitur, non solum renouatur. Ac re uera 653 D sententia praecedens statim mittitur. Inde a uerbis ὁρᾶν οὖν χρή noua inducitur[1], quam optime

[1] Bruns p. 33 non bene hoc enuntiatum trahit ad ea quae antecedunt. Explicatur ὁ λόγος uerbis φησὶν δὲ κτέ.

adnectere licet iis, quae 653 A—C in uniuersum disputata sunt de educatione. Mihi constat Philippum, sicut 653 C in responso Cliniae additis καὶ τὰ πρότερον coniunctionem parare studet cum libro primo, ita breui post insinuasse significationem chororum inferius constitutorum. Sententia uero nonne si paulo subtilius inquirimus haec est: miseri homines felicem quantum fieri potest uitam peragunt in ludis tantum misericordia deorum praebitis? Tale uero de uita humana iudicium nonne apud Philippum inuenimus? Vide Epin. 980 B, Leg. I 644 D, VII 803 C—804 B, Brunsii p. 93—105; sed cf. p. 96,1.

De posteriore parte libri, 660 B ad finem, non diiudico quaenam sint retinenda. 660 B νῦν οὖν οὕτω — 664 B ποτ' ἂν οὐδέτερος iam Bruns p. 117 sqq. spuria arbitratur. Sequitur institutio chororum, de qua dixi. Hoc etiam animaduertas uelim, quantum ea pendeat ex disputatione superiore modo eiecta. Nimirum id ipsum, quod scriptor ibi demonstrasse sibi uidetur 'uitam beatam et optimam esse eandem', omnium cantibus praedicatur: 664 B C, 665 C, quo loco seruos quoque enumerari ualde miror. De paginis 666 D—671 A, quippe quibus scriptor magis de uniuersa musica disputet quam choros instruat, adhuc incertus sum quo usque seruandae sint aut simul refutandae. De 671 A—672 D adstipulor Brunsio sagaciter disserenti, nisi quod de usu duplici notionis ἀρχαί dissentio. Nam 671 A ὅπερ ὁ λόγος ἐν ἀρχαῖς ἐβουλήθη siue ad 653 D siue ad 653 A, quod ueri similius iudico, referendum est, in Philippica incidimus. Praeterea si libri secundi partes, quas Bruns indicat, reddiderimus septimo, ne illic quidem uerbis ἐν ἀρχαῖς relegabimur ad initium totius de educatione expositionis, sed commentationis de musica factae. Quae explicatio non minus ualet in contextu tradito. 672 E - 673 D mihi sicut Brunsio Platonis esse uidentur. Eiusdem sententiam sequor de 673 D—674 C. Cf. p. 29.

In fine disputationis proferre liceat suspicionem semper mihi quotiens chororum institutionem tractaui obortam. Ne longus sim, chorus Bacchi qualis inducitur Platonis ingenio

indignus uidetur esse. Viri triginta annorum maioresque natu ad annum sexagesimum putantur adfecti esse pudore canendi in multitudine spectatorum, quamquam non singuli sed in chorum congregati prodeunt. Illum pudorem ut uincant, uinum adhibento remedium, quam ob rem 'chorus Bacchi' uocantur. Talis argumentatio cui probatur? Mihi paene ridicula uidetur. Sed memorabile est illi implecti occasione magis adrepta quam data legem (νομοθετήσομεν) illam de usu uini ad omnes ciues pertinentem 666 A B. Ni fallor Philippus liberiorem uini potum a Platone concessum reprimere conatus choros uel certe chorum tertium legemque nouam potandi inuenit. Quae cum instituto Platonico conciliare postquam frustra studuit, in extremo libro uera scriptoris sententia satis elucet (674). Tres uero choros nescio an conformarit imitatus Lacedaemonios (cf. schol. Leg. I 633 A), quibus eum magis quam magistrum fauisse apparebit.

Vltimo loco testimonium Aristotelis adfero non critici ipsius iudicium continens sed Platonis confirmans. Quod testimonium nostrae quaestioni utilissimum praebet ille, ubi agit de ciuitate Lacedaemoniorum, Pol. II 9 p. 1271 a 41—b 3: καὶ ὡδὶ δὲ τῇ ὑποθέσει τοῦ νομοθέτου ἐπιτιμήσειεν ἄν τις, ὅπερ καὶ Πλάτων ἐν τοῖς Νόμοις ἐπιτετίμηκεν · πρὸς γὰρ μέρος ἀρετῆς ἡ πᾶσα σύνταξις τῶν νόμων ἐστί, τὴν πολεμικήν · αὕτη γὰρ χρησίμη πρὸς τὸ κρατεῖν. Nemo adhuc dubitauit quin Aristoteli haec cum scriberet primus liber Legum uersatus sit ante oculos. Ego non solum dubito, sed posse id fieri nego. Praemoneo in primis ibi disputari de Cretensibus iisque non nunquam Lacedaemonios adiungi, tamen summam rem ad utrumque populum pertinere cum Brunsio p. 12, 1 consentio. Num illa quoque in re indicium insit retractationis Philippicae nunc non curo, satis sit commemorasse Aristotelem uituperationem non iterare in recensendis legibus Cretensium II 10. Iam ut demonstrem, quod contendi, explicabo quo modo progrediatur sententiarum series. I 625 C—626 B Clinias enarrat qui sit finis institutorum Cretensium. Grauissima exscribo effata: 625 D ταῦτ' οὖν πρὸς τὸν πόλεμον ἡμῖν ἅπαντα ἐξήρτυται, καὶ πάνθ' ὁ νομοθέτης, ὥς γ' ἐμοὶ φαίνεται, πρὸς τοῦτο βλέπων συνετάττετο, 626 A καὶ σχεδὸν ἀνευρήσεις οὕτω σκοπῶν τὸν Κρητῶν νομοθέτην, ὡς εἰς τὸν πόλεμον ἅπαντα δημοσίᾳ καὶ ἰδίᾳ τὰ νόμιμα ἡμῖν ἀποβλέπων συνετάξατο, καὶ κατὰ ταῦτα οὕτω φυλάττειν παρέδωκε τοὺς νόμους, ὡς τῶν ἄλλων οὐδενὸς οὐδὲν ὄφελος ὄν, οὔτε κτημάτων οὔτε ἐπιτηδευμάτων, ἂν μὴ τῷ πολέμῳ ἄρα κρατῇ τις. Cf. 626 B. Hic sane eadem habemus laudata, quae Aristoteles reprehendit, sed audiamus quid respondeat Atheniensis hospes, personatus Plato. 626 C—628 E egregia deductione persuadet conlocutoribus bella non esse nisi pacis causa gerenda. Iam Clinias minus confidenter θαυμάζω γε μήν ait εἰ τά τε παρ' ἡμῖν νόμιμα καὶ ἔτι τὰ περὶ Λακεδαίμονα μὴ πᾶσαν τὴν σπουδὴν τούτων (i. e. τῶν πολεμικῶν) ἕνεκα πεποίηται (628 E). Hospes hac opinione interim admissa (629 A) sententiam suam inlustraturus notionem belli accurate definit eoque peruenit, ut 630 B C talibus finiat expositionem: ποῖ δὴ τελευτᾷ νῦν ἡμῖν οὗτος ὁ λόγος καὶ τί φανερόν ποτε ποιῆσαι βουληθεὶς λέγει ταῦτα; δῆλον ὅτι τόδε, ὡς παντὸς μᾶλλον καὶ ὁ τῇδε παρὰ Διὸς νομοθέτης πᾶς τε οὗ καὶ σμικρὸν ὄφελος οὐκ ἄλλο ἢ πρὸς τὴν μεγίστην ἀρετὴν μάλιστα βλέπων ἀεὶ θήσει τοὺς νόμους. Hoc ergo dicit: leges Cretensium nec non Lacedaemoniorum summam ubique adfectant uirtutem, non solum fortitudinem, quae quartum i. e. ultimum locum tenet inter uirtutes. Cliniae adhuc dubio, quid sibi uelit hospitis oratio, claris uerbis ille iterum atque iterum iudicium aperit 630 D E, 631 A—C. Idem repetitur III 688 A, IIII 705 D. Iuuat cum eo iudicio componere Aristotelis uerba.

Aristot. l. a.	Leg. I 630 E
πρὸς γὰρ μέρος ἀρετῆς ἡ πᾶσα σύνταξις τῶν νόμων ἐστί, τὴν πολεμικήν.	οὐχ ὡς πρὸς ἀρετῆς τι μόριον καὶ ταῦτα τὸ φαυλότατον (i. e. ἀνδρείαν) ἐτίθει βλέπων, ἀλλὰ πρὸς πᾶσαν ἀρετήν.

Non contentus redarguisse Cliniam hospes 631 B—632 D indicat rationem, qua liceat approbare Minois et Lycurgi le-

ges omnia parare bona animi et corporis. Quin etiam petit a conlocutoribus, ut ilico adhibeant eam rationem. Qua re hunc sermonem suo iure Bruns appellat dispositionem maiorem, quam excipit minor 632 D E. Hic paululum subsistamus. Intellegimus Aristotelis testimonio freti Philippum Platonis iudicium paulatim inflexum atque detortum uertisse in contrarium [1]. Dispositio cum nitatur hoc iudicio de Cretensium et Lacedaemoniorum re publica a Platone alieno confecta est a discipulo. Quod ubi cognouimus, contingit aenigma soluere adhuc non exploratum. Quisquis intentis oculis dispositionem 631 B—632 C perlegerit, mirabitur quod scriptor initio quidem sicut par est rationem demonstratiuam usurpat, tum uero a uerbis καὶ δὴ καὶ τῷ νομοθέτῃ οὕτω τακτέον 631 D aberrans a proposito praecepta dat legum latori nescio cui, quo modo debeat progredi in ciuitate constituenda. Exhibent autem ea praecepta, quod Boeckh In Platonis Minoem p. 98 et Stallbaum ad 632 C (cf. argum. lib. I p. 7 sq.) adnotant, quasi adumbrationem Legum ipsarum quales hodie exstant. Duabus igitur ex partibus hic Philippum deprehendimus. Etenim ei cum debeatur ordo librorum item debetur dispositio praemissa. Huic uero loco minime apto eam inseruisse uidetur, ut quam primum lectori uia et ratio scriptoris monstraretur. Facio igitur neque cum uiris doctis, quos nominaui, neque cum Brunsio p. 174—188 eorum iudicium acriter et ingeniose impugnante. Non habeo in animo illa dispositione nixus Legum compositionem crimini dare Platoni, tamen nequeo mihi persuadere casu factum esse, ut tanta similitudo oreretur dispositionis cum rerum postea tractatarum ordine. Priorum quidem librorum, quippe quos summatim delineare difficillimum sit, ita Philippus significare uidetur argumentum, ut in uniuersum de singulis uirtutibus dissertum iri contendat. Cf. dispositionem minorem 632 E. Inde a 631 D firmiore incedimus gradu. Venimus ad propriam legum lationem, cf. VI 768 E. Disputa-

[1] Confirmatur hoc argumento sententia Brunsii de III 688 A et IIII 705 D p. 165—69, 170 sq. prolata.

tur de nuptiis (γάμοι) VI 772 D sqq., de liberorum procreatione (παίδων γεννήσεις) VI 775 B—E et 783 D sqq., de educatione (τροφαί) iuniorum (νέοι) libro VII, seniorum (ἐπὶ τὸ πρεσβύτερον ἰόντες) i. e. de conuentibus omnis generis (πᾶσαι ὁμιλίαι) praecipue de ludis libro VIII, ubi 835 D sqq. agitur de cupiditate amatoria (ἐπιθυμίαι ξυμπάντων τε ἐρώτων σπουδαί), de perturbationibus animorum ira rebusque aduersis effectis (ἐν ὀργαῖς κτέ. 632 A) libro VIIII, de adquirendi ratione ciuium (κτήσεις), de impensis (ἀναλώματα), de contractibus eorumque dissolutione (κοινωνίαι καὶ διαλύσεις) libro XI, de sepulturis (ταφαί) XII 958 C—960 B, de institutione custodum (φύλακες) i. e. concilii nocturni XII 960 B usque ad finem.

Cum reputamus quo in fundamento exstructae sint dispositiones, minus offendimur, quod earum quasi summa mox plane neglegitur. Nusquam demonstratur, id quod scriptor posuit 631 B, 632 D, legibus Minois et Lycurgi omnes uirtutes amplexis beatitudinem ciuium comparari. Cf. Brunsii p. 14. Immo hospes iam breui tempore intermisso illas leges reprehendere inducit animum. Sed qua cautela utitur, quibus excusationibus! 634 C D, 635 A B. Paulo post re uera proferuntur opprobria quaedam in Lacedaemonios 636 B—D, 637 C D, neque uero impetu tam infenso quam Brunsio uidetur p. 15.

Si recte processit argumentatio, Philippus nimius fautor et adsectator Doriensium fuisse censendus est. Oportet quaeramus, num alia eiusdem rei uestigia adsint. Non dubito huc referre, quae de personis et forma totius dialogi explorasse mihi uideor. De tribus choris coniecturam uide p. 34. Frequentes laudes Spartae iam Zellero *Plat. Stud.* p. 33 suspectae erant. III 692 D E Lacedaemonii non minus quam Athenienses de liberata a Persis Graecia meriti esse dicuntur (cf. IIII 707 C). Quod illi pugnae ad Marathonem commissae non interfuerint, excusatur incursione Messeniorum. Scis his de rebus historicos alia prodidisse memoriae. Neque scriptori nostro ignota fuit eorum narratio. Testantur uerba ab eo eandem rem attingente addita 698 E καὶ εἰ δή τι διεκώλυεν

ἄλλο αὐτούς, οὐ γὰρ ἴσμεν λεγόμενον. Porro inspicias III 693 E, 696 A, IIII 712 E cl. II 660 B. Nimiae temeritatis est hos omnes locos una de causa adlata tribuere Philippo, sed dignum est monitu eos inesse in libris prioribus, quos reliquis magis ni fallor retractauit discipulus. Non silentio praetereundum uidetur bis scriptorem reprehensione inuehi in Lacedaemonios: II 666 E et VII 806 A—C cl. 814 A B. Posteriore loco condicio mulierum Laconicarum improbatur sicut I 637 C. Priorem pluribus inlustrare operae pretium est. Valde discrepans ab iis, quos supra tractaui, continere uidetur meram Platonis sententiam. Nonne enim στρατοπέδου . . πολιτείαν ἔχετε idem ualet atque iudicium ab Aristotele commemoratum, nonne ea quae statim sequuntur sic interpretanda sunt, ut pueri ad solam fortitudinem adquirendam educari dicantur? Miro mehercle modo hospes sententiam pristinam mutauit. Sed ne Clinias quidem, cum respondeat: οὐκ οἶδ' ἡμῶν, ὦ ξένε, ὅπῃ πάλιν αὖ τοὺς νομοθέτας φαυλίζεις, bene meminit expositionis superioris, quam ut conferamus scriptoris ipsius uerbis κατ' ἀρχὰς εἴπομεν 667 A admonemur. En luculentum exemplum confusionis saepius nescio an consulto admissae a Philippo.

Inquisiui de iis omnibus locis Aristotelicis, qui ad Legum libros traditos mihi non uiderentur quadrare. Non desunt qui quadrent. Iam cunctos uno in conspectu proponam aliquantum discedens a uiris doctis eandem rem aggressis. Vt patefiat discrepantia quam suspicor, asteriscum addam iis, quos cum Platonicis non conciliari posse arbitror, signum uero interrogationis ponam, ubi desideratur locus, ad quem testimonium Aristotelicum applicemus. Praeterea ad significandam fidem testimonii utar notis a Bonitzio adhibitis. Vtile est ordinem operis Platonici sequi.

	Aristoteles			Platonis Leges	
a	*Pol. II 9	p. 1271 b 1	conf. cum	*I 625 C—631 B	Vide p. 34 sqq.
c	» II 12	p. 1274 b 11	» »	I 640 D	V. p. 27 sqq.
c	Eth. Nic. II 2	p. 1104 b 12	» »	II 653 A—C	
a	*Pol. II 6	p. 1265 b 19	» »	*V 734 E	V. p. 22—23.

a	Pol. II 6	p. 1265 a 29	conf. cum	V 737 D	
a	* » II 6	p. 1265 a 10	» »	*V 737 E	V. p. 23—24.
a	» II 6	p. 1265 b 31	» »	V 739 A E	
a	* » II 6	p. 1265 a 39	» »	*V 740 B—741 A	V. p 24—25.
a a	* » II 6 * » II 7	p. 1265 b 22 p. 1266 b 6	» »	*V 744 E	V. p. 25—26.
a	» II 6	p. 1265 b 24	» »	V 745 E	
a	» II 6	p. 1266 a 26	» »	VI 753 D VI 756 E	
a	» II 6	p. 1266 a 14	» »	VI 756 B—E	
a	» II 6	p. 1266 a 9—10	» »	VI 756 D VI 764 A VI 765 C	
a	» II 6	p. 1266 a 8— 9	» »	VI 756 E VI 763 E VI 765 B C	
a	» II 6	p. 1266 a 12—13	» »	VI 759 E—760 A VI 763 D E	
d	» I 13	p. 1260 b 5	» »	VI 777 E	
d	» IIII (VII) 11	p. 1330 b 32	» »	VI 778 D	
a a c	» II 6 » II 7 » II 12	p. 1265 a 9 p. 1266 a 35 p. 1274 b 11	» » » »	VI 781 A VII 806 E	
a	» II 6	p. 1265 a 6—7	» »	VII cl. lib. II	V. p. 32 sqq.
d	» IIII (VII) 17	p. 1336 a 34—36	» »	VII 792 A	
c	» II 12	p. 1274 b 12—13	» »	VII 794 D—795 D	
a	» II 6	p. 1265 a 7	» »	VII 806 D VIII 846 D VIIII 919 D—920 A	
a	? » II 6	p. 1265 a 18	» »	?	V. p. 26—27.
a	? » II 6	p. 1265 b 27	» »	?	V. p. 20—21.
a	? » II 6	p. 1265 b 29	» »	?	V. p. 20.
a	? » II 6	p. 1266 a 1	» »	?	V. p. 21—22.

Quid concludendum sit ex iis, quae exposui, facile est intellectu. Aristotele auctore Socrates est grauissimus conlocutorum atque disserit de ciuitate omnino ficta. Porro iudicia non nulla et testimonia critici ne intellegi quidem nedum probari possunt nostris cum libris conlata. Censebimus igitur Aristotelem opus magistri legisse nondum a Philippo retractatum. Quae opinio externis argumentis fulcitur. Aristoteles Platone mortuo ilico cum Xenocrate ad Hermiam se contulit neque intra duodecim annos Athenas reuertit. Itaque uulga-

rem si sequimur sententiam, in Asia demum uel Macedonia ille Leges cognouisse putandus est. Quod minime comprobatur significatione ab eo adhibita p. 1264 b 26 τοὺς Νόμους .. ὕστερον γραφέντας (cf. p. 1266 b 5), qua uix potest indicari opus postumum. Accedit quod Aristoteles Epinomidem sine dubio una cum Legibus a Philippo promulgatam ne ullo quidem uerbo attingit. Denique in catalogo librorum Aristotelicorum apud Laertium Diogenem V 22 enumerantur Τὰ ἐκ τῶν Νόμων Πλάτωνος α' β' γ'. Anonymus Menagii exhibet β'. Non est cur hoc scriptum spurium ducamus. Continebat ni fallor excerpta Legum, quibus uti uolebat Aristoteles ad conscribenda opera politica. Eodem consilio, ut notum est, conlegit permultarum ciuitatum instituta, eodem composuit Τὰ ἐκ τῆς Πολιτείας (Πλάτωνος) α' β' (Laert. V 22). Τὰ ἐκ τοῦ Τιμαίου καὶ τῶν Ἀρχυτείων (V 25) adhibiturus erat in scriptis physicis. Talia excerpta iuniori aetati consentaneum est adsignari. Cf. Zelleri II 2, 65. Neque dubito quin Aristoteles sicut ex Re publica et Timaeo ita ex Legibus primum degens Athenis adhuc uiuo praeceptore grauissima quaeque siue laudanda siue uituperanda schedis suis commiserit.

Etiam longius audeo progredi. Vidimus identidem eam ipsam rationem, quam Aristoteles recensens opus Platonicum desiderauit, nostris in Legibus adhibitam. Cf. p. 24 et 26. Praeterea in iis non uno loco sententias apud Platonem alibi non exstantes, Aristoteli autem proprias inuenimus, e. gr. bonorum tabulam III 697 B, IIII 717 C, 724 A, V 743 E, VIIII 870 A B (cf. V 728 C—E, I 631 C, II 661 A) cl. Arist. Pol. IIII (VII) 1, Zelleri II 2, 616; III 697 D, IIII 715 B cl. Arist. Pol. III 7; IIII 712 D cl. Ar. Pol. II 6 p. 1265 b 40, ubi conexu uetamur uoce ἔνιοι Platonem complecti; IIII 715 C cl. Pol. III 16 p. 1287 a 21; V 731 E cl. Ar. Pol. II 5 p. 1263 b 1; I 637 C, VI 781 A B, VII 806 A—C cl. Ar. Pol. II 9, Rhet. I 5 p. 1361 a 10, quibus locis non solum sententiae sed uerba etiam miro modo congruunt: ἄνεσις, ἀνομοθέτητος, τρυφᾶν: τρυφερῶς, praecipue cf. Ar. p. 1269 b 18 τὸ ἥμισυ τῆς πόλεως εἶναι δεῖ νομίζειν ἀνομοθέτητον cum Leg. VI 781 A

οὐ γὰρ ἥμισυ μόνον ἐστίν, ὡς δόξειεν ἄν, τὸ περὶ τὰς γυναῖκας ἀκοσμήτως περιορώμενον. Denique cf. Leg. II 674 A cum Ar. Oec. I 5 p. 1344 a 32. His perspectis nonne oritur suspicio Philippum in retractando opere iam Aristotelis doctrinam quin etiam iudicia de Legum institutis in usum suum conuertisse [1]? Quasnam sententias per colloquia acceperit quas hauserit ex scriptis diiudicari nequit. Certe non probabile est eum libris acroamaticis qui dicuntur nobis ex parte seruatis usum esse, utpote qui a philosopho seniore conditi sint, cogitabimus potius in primis de dialogis, qui non tam sententiis quam ratione inquirendi ab illis differebant. Pol. IIII 1 Aristoteles ipse nos relegat ad ἐξωτερικοὺς λόγους, quibus Bernays *Die Dialoge des Aristoteles* p. 69—91 significari conicit dialogum, cui titulus erat Νήρινθος uel Νήριτος uel Νήρικος.

Huius quaestionis difficultas eo augetur, quod quonam tempore Leges prodierint in lucem prorsus latet. Nam de Isocratis uerbis Philipp. 12 persaepe disceptatis consentio cum Zellero II 1, 385, 1, qui ea nimis ambigue dicta esse profiteatur quam ut ad certum scriptorem referri possint. Caueamus ne eo decipiamur, quod librorum multorum illa aetate de legibus optimoque rei publicae statu compositorum sola super sunt opera Platonica. Neque per se ueri est simile iam initio anni 346 a. Chr. n., quo tempore oratio illa ad Philippum missa est, Legum editionem non solum absolutam fuisse sed etiam cognitam regi Macedonum. Proxima testimonia [2], quod sciam, sunt Theophrasti (frgm. 97, 5 W.), qui Leg. XI 915 D E iisdem uerbis ut uidetur perscriptum legit, quibus nos legimus, et Democharis, cuius in oratione anno 306 ha-

[1] Quod Vsener subtiliter obseruauit *Preuss. Jahrb.* 1884 p. 20 Legum libros, praecipue tertium, documento esse, quoad cesserit Aristotelis auctoritati magister, ad Philippum transtulerim. Cf. Bernaysii l. a. p. 49.

[2] Consulto praetereo Alexidis uersus Athen. VI 226 a—c traditos, quibus Platonem inludi non credo. Obstat nomen fictum, cum comicum saepius ὀνομαστί exagitasse philosophum sciamus, et fragmenti posterioris argumentum Leges nullo modo perstringens.

bita Chaeron, discipulus Platonis et Xenocratis, describitur uariis flagitiis deditus ταῦτ' ὠφεληθεὶς ἐκ τῆς καλῆς Πολιτείας καὶ τῶν παρανόμων Νόμων (Athen. XI 509 b, Wilamowitz *Antigonos von Karystos* p. 196). Spatium igitur multorum annorum inter Platonis mortem et publicatas Leges potest intercessisse, testimonia externa si respicimus.

De editione uero ipsa quid ueteres tradiderint eo diligentius mihi excutiendum est, quod rationem a Philippo adhibitam nouis coloribus depinxi. Tres testes praesto sunt, Laertius Diogenes III 37, Proclus in Proleg. in Platonis philosophiam c. 24 [1], Suidas s. u. φιλόσοφος. Quem auctorem sequatur Laertius non addit. Non uidetur pendere ex Fauorino, quem breui antea nominat. Quae narrat speciem ueri similitudinis prae se ferunt optimam. Sunt haec: ἔνιοί τέ φασιν, ὅτι Φίλιππος ὁ Ὀπούντιος τοὺς Νόμους αὐτοῦ μετέγραψεν ὄντας ἐν κηρῷ. Incredibile fere est, quanto opere erratum sit in his uerbis interpretandis. Decepti ut uidetur uoce κηρός memoresque expositionis nimis obscuratae, qualis exstat in Prolegomenis, uiri docti μεταγράφειν idem esse putant atque 'edere'. Birt *Das antike Buchwesen* p. 477. Neque Bruns, quamquam persuasum habet Philippum non modo editorem sed correctorem fuisse Legum, hoc loco ad confirmandam sententiam suam usus est. Bergkii explicatio singularis (p. 44, 1) mihi non adridet, falso certe μεταγράφειν uertit *copiren*. Atque ab hac uoce proficiscendum est. Μεταγράφειν apud uetustos scriptores semper ualet, ut graece exprimam, γραφὴν μεταλλάττειν. Sic apud Eurip. Iph. Aul. 108, Thuc. I 132, Xenoph. Hell. VI 3, 19, Isocr. 17, 32 et 34, Demosth. 21, 85, Isaeum 4, 13, Strab. p. 550, Clem. Alex. Strom. 263, 19, Lucian. De hist. conscr. 5, De imag. 8, Pausan. I 18, 3, Apoll. Lex. Hom. 165, 8, Schol. Il. Β 681, Schol. Aristoph. Pac. 123, Apollon. De pron. 313 B, 320 B. Non raro notio fallendi sub-

---

[1] In capite 24 Proclus non adfertur testis, tamen ibi quae de Legibus traduntur illi deberi puto, cum et sententiae et uerba ipsa congruant cum initio capitis sequentis.

est. Exemplum nostrae quaestioni aptissimum praebet Dinarchus Contra Demosth. 42: ὅτι τρία τάλαντα λαβὼν μετέγραψε καὶ μετεσκεύαζε τὸν νόμον καθ' ἑκάστην ἐκκλησίαν. Sicut νόμον γράφειν est 'legem ferre' ita νόμον μεταγράφειν 'legem latam mutare' uel 'legi derogare noua lege'. Similiter μεταγραμματίζειν significat 'litteram mutare'. Arte cohaeret cum hac ui illa notio 'uertendi in aliam linguam', quae inuenitur Thuc. IIII 50, Luc. De hist. conscr. 21 (u. l. μετεγγράψαι). Nusquam μεταγράφειν usurpatur pro 'describere', quae uis abhorret ab usu praepositionis μετά. Cui iudicio non obstant scriptores Byzantini μεταγραφεύς pro scriba, μεταγραφή pro exemplari descripto dicentes.

Ὄντας ἐν κηρῷ nescio an proprio sensu accipere liceat 'perscriptas in tabulis ceratis'. Si quis uero demonstrauerit non posse fieri, ut tantae amplitudinis opus in tabulis ceratis fuerit, tamen sensum fere eundem retinebimus interpretati uerba translatione quadam indicantia Leges adhuc in schedis philosophi seruatas i. e. nondum editas. Conferas libri titulum κηρία apud Gellium praef. 6. Similiter in lingua Latina 'cera' et 'tabula' transferuntur.

Iam totius loci sententiam indagemus. Quem qui interpretantur: 'Leges descripsit ex tabulis ceratis', ut linguae Graecae uim inferunt, ita sententiam se adsequi paene absurdam non animaduertunt. Quis enim ut dignum memoria tradet Philippum Leges descripsisse? Nimirum librarii id est non philosophi. At scio eos accipere significationem illam quasi eleganter quaesitam pro 'edidit.' Sed id sumunt, non demonstrant. Quiuis homo Graecus, id ut exprimeret, usus esset uocabulo ἐκδιδόναι. Vide testamentum Lyconis Laert. V 73, Birtii p. 437,2. Sed ut omnia illa concedamus, nostro iure offendimus cum Bergkio p. 44, 1 in participio adiuncto ὄντας ἐν κηρῷ, cum praesertim diremptum sit a substantiuo. Laborat ergo illa explicatio quasi omnibus ex membris. Verba sic uerto: Non nulli dicunt Philippum Opuntium Leges eius in nouam formam redegisse, cum nondum prodiissent in publicum. Τοὺς Νόμους αὐτοῦ μετέγραψεν per se intellegitur.

Participium rei inlustrandae causa additum temporalem simul et explicatiuam uim habet. Scilicet si iam diuulgatae fuissent Leges, uix contigisset pristinam libri formam noua opprimere. Cum uero opus Platonicum nisi retractatum a Philippo non diuulgaretur, iam ueteres nesciebant, quaenam is mutauisset. Quin etiam, quod consentaneum fere est, plerique eum omnino ignorabant retractasse Leges, neque mirum quod nobis tam pauca atque incerta eius rei adsunt testimonia.

Nemo non uidet Laertium, si recte explanaui eius uerba, disertum exsistere defensorem sententiae supra propositae. Vox μεταγράφειν proprie poterat adhiberi quae indicaret mutatas personas mutatumque habitum totius dialogi. Cf. Demosth. 21, 85, Pausan. I 18, 3.

Eundem fontem, ex quo hausit Laertius, resipiunt ea, quae narrantur in Prolegomenis, libello neglegenter scripto, sed deprauata sunt temporis longinquitate uel dicam potius coniecturis philosophorum, nescio an ipsius Procli. Quo magis obscurabatur memoria, eo latius uagabatur coniectura, quidnam rei fuisset Philippo cum Legibus. Cum uero id unum constaret eum promulgasse libros magistri, nonne in promptu erat suspicari eundem ordinasse opus, utpote quod perficere Plato ipse morte impeditus esset? Attendas quaeso animum apud Laertium huius rei ne ullum quidem esse uestigium.

Suidas supplementum quoddam praebet Laertii. Rem grauissimam praetermittit, retractationem Legum. Tamen id quod tradit: ⟨Φίλιππος⟩ φιλόσοφος, ὃς τοὺς Πλάτωνος Νόμους διεῖλεν εἰς βιβλία ιβ' fide uidetur haud indignum. Neque potest suspicionem mouere, quod Epinomidem pro libro decimo et tertio Legum habet, quae significatio posterioribus demum temporibus inuenitur. Rem enim ipsam nomine tantum mutato prodidisse auctorem uetustissimum testatur Laert. Diog. III 37. Birt p. 477 propterea illi glossae denegat fidem, quod ante aetatem Alexandrinam opera non sint diuisa in singulos libros. Concedo uiro harum rerum peritissimo facile potuisse fieri, ut Philippo editori Legum adsignaretur earum distributio, tamen duobus argumentis Suidae opem ferre co-

nabor. Atque primum Birtii interrogationi p. 477, 2 respondeo haud esse improbabile Aristophanem, sicut complures epistolas, tertiam septimam octauam ni fallor, in unum λόγον comprehendit, ita singulos libros eiusdem operis coniunxisse. Argumenti eum in primis habuisse rationem eo comprobatur, quod et Minos et Epinomis, etsi uterque dialogus amplitudine superatur ab una epistula septima, proprium λόγον efficit. Deinde librorum discriptio optime accommodata est rebus tractatis, quod in Re publica nequaquam fieri notum est. Quin identidem fine libri conexus sententiarum adeo interrumpitur, ut uix mihi credibile uideatur totum opus olim fuisse continuo sermone perscriptum. Ne exempla desint, inter l. I et II, II et III, III et IIII nulla fere intercedit cognatio argumenti.

Narratione Laertii, quae duabus reliquis auctoritate longe praestat, iis adiuncta, quae ex libro Aristotelico conclusi, facere non possum quin in opinionem incidam satis diuersam a sententia uirorum doctorum. Leges ab ipso Platone non dico perpolitas tamen ad finem perductas fuisse arbitror. Aristoteles enim, qua erat iustitia et pietate erga magistrum, non neglexisset reprehensionis acerbitatem lenire, si de libro iudicia fecisset non absoluto. Ac uix crediderim, eum talem librum tractaturum fuisse inter eas quas recenset ciuitates a philosophis exstructas. Neque Laertii uox μεταγράφειν suum haberet locum, si non adfuisset opus certis finibus circumscriptum et in certam formam redactum. Omnibus exemplis supra adlatis haec confirmatur conclusio. Fortasse opinio mea etiam eo comprobatur, quod Critias dialogus, cum imperfectus traditus sit, extremis uitae Platonis temporibus adsignandus uidetur. Commonere iuuat quam diuersa sit eius dialogi condicio a Legibus. Editionem Critiae sine dubio post mortem scriptoris factam quis parauerit, nusquam docemur a ueteribus. Haud mutatum esse dialogum ab editore sermo ostendit uerissime Platonicus. Porro dignum est memoratu ab Aristotele eum librum, quod sciamus, nusquam esse adhibitum, ex quo hauriret sententias magistri. Quibus

rebus magis fit ueri dissimile neque Leges absolutas esse a philosopho. Quod uero non ipse librum edidit, non est cur nimis miremur, cum discipulis semper fuerit in promptu. Difficilius est cognitu, cur Philippus ausus sit demutare opus fere perfectum. Vna causa supra est prolata. Nescio an accesserint commentationes quaedam in schedis philosophi inuentae, quas discipulus cuperet illi operi intexere. At magis interest quam clarissime perspicere ipsius retractationis rationem. Frustra studui exemplar Legum Aristotelicum quasi delineare. Non continuisse uidetur magnam partem priorum librorum praecipue tertii et quarti, qui ut ab Aristotele de forma ciuitatis inquirente maxime debebant respici ita retractationis plurima exhibent uestigia; cf. p. 38—39. Accurate definire quae addiderit discipulus non licet. Nam ut profitear iudicium meum, nulla fere pagina non prodit Philippi manum. Documento sunt personae mutatae habitusque dialogi mutatus, testimonio est sermonis color plerumque alienus a Platone, proprius uero Epinomidis scriptori. Ingens sermonis discrepantia inter Leges et reliqua scripta Platonica, quam luculente inlustrauit Zeller, nequaquam excusari potest ut putant senectute scriptoris. Neque contentus propriis uti structuris propriisque uocabulis non raro nouas sententias inmiscuit Philippus, alibi saltem detorsit praeceptoris sententiam. Parua igitur spes relinquitur mera argumenta philosophiae Platonicae nos esse carpturos e Legum libris, nulla fere inuenturos partem aliquam ipsius etiam Platonis uerbis perscriptam. Caueamus ne illo innitamur opere aliis non adscitis testimoniis praecipue Aristotelis. Eo diligentius adhibeamus dialogum ad cognoscendam accuratius uiam et rationem scholae Academicae uetustissimae, in primis uero ad indagandos mores et ingenium Philippi Opuntii.

VITA

Natus sum Ernestus Praetorius anno CIƆIƆCCCLXI in oppido Mecklenburgensi, cui nomen est Waren. Parentes Albertum et Carolinam e gente Susemihl puero mihi morte ereptos pia memoria colo. Fidei euangelicae addictus sum. Postquam per nouem annos gymnasium urbis patriae frequentaui, uere anni LXXVIIII Tubingam, autumno eiusdem anni Lipsiam, ineunte anno LXXX Bonnam me contuli, ut studiis philologis operam nauarem. Docuerunt me uiri clarissimi Gutschmid, Keller, Rohde, Schwabe Tubingenses, Gardthausen, Lipsius, Meyer, Noorden, Ribbeck, Voigt Lipsienses, Bernays, Buecheler, Ioers, Kekulé, Leo, Luebbert, I. B. Meyer, Schaefer, Schoenfeld, Vsener Bonnenses. In seminarium historicorum Schaeferi, philologorum Buecheleri, Luebberti, Vseneri beneuolentia receptus illius per annum, huius per ter sex menses fui sodalis ordinarius. Exercitationibus historicis ut interessem Meyer Lipsiensis, epigraphicis et philologis Buecheler benigne permisit.

Omnibus praeceptoribus maximas habeo gratias, in primis uero Buechelero et Vsenero, quorum beneficiis in me conlatis in perpetuum sum deuinctus.

SENTENTIAE CONTROVERSAE

I.

Cicer. De nat. deor. III 53 scribendum propono: ex quo et Proserpina natum ferunt Liberum. Cf. III 58 et Ampel. 9,1 et 11.

II.

Aristoph. Equ. u. 8—17 hoc modo distribuo:

8 Δημ. Δεῦρο δὴ πρόσελθ', ἵνα
ξυναυλίαν κλαύσωμεν Οὐλύμπου νόμον.
10 Δημ. καὶ Νικ. Μὺ μῦ μὺ μῦ μὺ μῦ μὺ μῦ μὺ μῦ μὺ μῦ.
Νικ. Τί κινυρόμεθ' ἄλλως; οὐκ ἐχρῆν ζητεῖν τινα
σωτηρίαν νῷν, ἀλλὰ μὴ κλάειν ἔτι;
Δημ. Τίς οὖν γένοιτ' ἄν; λέγε σύ. Νικ. Σὺ μὲν οὖν μοι λέγε,
ἵνα μὴ μάχωμαι. Δημ. Μὰ τὸν Ἀπόλλω 'γὼ μὲν οὔ.
15 (16) Νικ. Πῶς ἂν σύ μοι λέξειας ἁμὲ χρὴ λέγειν;
16 (15) Δημ. Ἀλλ' εἰπὲ θαρρῶν, εἶτα κἀγὼ σοὶ φράσω.
Νικ. Ἀλλ' οὐκ ἔνι μοι τὸ θρέττε.

III.

Laert. II 2 uerba ἐν τοῖς Χρονικοῖς, item VIIII 25 ἐν Χρονικοῖς glossemata esse arbitror.

IIII.

Verg. Catal. XIII 10 non bene editores ni fallor omnes discedunt a codicum scriptura:

Clio nam certe candida non loquitur.

V.

Philipp. Epin. 987 B scribo: ὁ μὲν γὰρ ἑωςφόρος ἕσπερός τε ὢν αὐτὸς Ἀφροδίτης εἶναι σχεδὸν ἔχει λόγον καὶ μάλα Συρίῳ ὀνοματοθέτῃ (cod. νομοθέτῃ) πρέπον.

VI.

Pseudo-Plat. Epist. I 309 B corrigendum censeo: ἐγὼ οὖν περὶ ἐμαυτοῦ βουλεύσομαι τοῦ λοιποῦ (codd. τὸν λοιπὸν) τρόπον ἀπανθρωπότερον.

VII.

Plin. N. h. VI 102 numerus CCCVIIII sine dubio est corruptus. Cf. 103 et V 59.

VIII.

Ex Chalcidii in Timaeum commentarii cap. 128 ueri simile fit Epinomidem non integram nobis esse traditam. Mythographum Vaticanum III p. 171 propter addita exempla non Chalcidium ipsum, sed eundem atque illum sequi auctorem puto.

VIIII.

Athen. XIII 617 b Πρατίνας δὲ ὁ Φλιάσιος .... ἀγανακτεῖ[ν τινας] ἐπὶ τῷ τοὺς αὐλητὰς μὴ συναυλεῖν τοῖς χοροῖς κτέ. Quod inclusi nescio an ortum sit ex nomine poetae in margine adscripto.

X.

Voce ἐπινομίς, quam in re nauali adhiberi Apollonius apud Athen. III 97 d et Hesychius s. u. docent, significata esse conicio ligna transuersaria, quae in imaginibus identidem occurrunt superimposita assibus partem nauis supra aquam eminentem circa tegentibus. Hi enim uocabantur νομεῖς, quo uocabulo costas esse nuncupatas non concedo.

XI.

Liu. I 4, 7, Dionys. I 84, Plut. Rom. IIII οἱ δὲ τοὔνομα κτέ. referenda sunt ad Valerium Antiatem.

XII.

In gymnasiis synchronistica quae dicitur ratio historiae docendae hac aetate nimis neglegitur.
